





25

21

1779, 2

SYNOPSIS IVRIS ECCLESIASTICI PV- BLICI ET PRIVATI

Q V A M

P. 348

VNA CVM POSITIONIBVS EX CETERIS
IVRISPRVDENTIAE PARTIBVS

INDVLTV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

PRO GRADV DOCTORIS

ET SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS LEGITIME
IMPETRANDIS

DIE IX. NOVEMBR. MDCCCLXXIX.

IN AVDITORIO COELICO

PVBLICE TVEBITVR

FRANCISCVS PHILIPPVS FRANCK,

ECCLESIAE COLLEGIATAE B. MARIAE VIRGINIS CANONICVS CAPI-
TVLARIS, ET SACRORVM CANONVM PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS.



ERFORDIAE, LITERIS NONNIANIS, ACAD. A TYPIS.



SYNOPSIS
LITURGICAE ECCLESIASTICAE
PUBLICI ET PRIVATI

Cæterum scimus quosdam quod semel imbibierint nolle depone-
re, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas
paci & concordia vinculo quædam propria, quæ apud se semel
sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus,
aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione volun-
tatis suæ arbitrium liberum unusquisque prepositus rationem actus
sui domino redditurus,

CYPRIANUS

Epist. Lib. II. Epist. I. Sec. edit.

ERASMI ROT.



AD BENEVOLVM LECTOREM.



Caeca tecum, B. L. Propositum mihi erat, pro inaugurali benignæ tuæ crisi submittere plurimum plagularum Dissertationem ex jure publico ecclesiastico desumptam. Duo præ aliis in hac vastissima jurisprudentiæ parte themata arridebant, quæ mihi exquisitiorem diligentiam exposcere videbantur. *Unum* quidem suggererat GRATIANVS in suo decreto Canone 18. *Caus. XXIV. q. i. qui famigeratissimum & decantatum omnibus*

* 2

tum



tum S. CYPRIANI a): *Episcopatus unus est; Cujus a singulis in solidum pars tenetur*, refert. Ut ut hic textus in omnium ore sonet, nondum tamen pro dignitate sua, pro pondere difficulta-

a) Sane operæpretium esset, ut quis ex omnibus operibus huius sancti elaboraret *Cyprianum de Ecclesia*, ad modum sicut CORN. IANSENIUS Episcopus Yprentis ex libris S. AUGUSTINI suum *Augustinum de gratia* composuerat, licet optimus conatus ipsius scopo in omnibus non successerit. Breviter nobis huius S. CYPRIANI systema de Ecclesia ex eius operibus dedit ELL. DUPIN in sua nova biblioth. Auctorum eccles. tom. I. pag. 270. hisce verbis: "Validis rationibus ostendit necessarium esse, ut quis sit in Ecclesia, ut servetur: de Ecclesia Romana magnifice loquitur; eius Episcopum tamquam principis mundi Ecclesie Episcopum spectat; at putat neque in Coepiscopos, neque in Ecclesias dominari posse; Unumquemque Episcopum actus sui Deo redditurum rationem; Episcopatus potestatem esse indivisibilem, illiusque portionem singulos Episcopos possidere; cum urget necessitas omnes Episcopos posse fratribus suis opitulari, licet a sua jurisdictione ordinaria non pendeant; Causas dijudicandas esse in Provincia, in qua testes & accusatores reperiri possunt; Concilia sive Episcoporum congregationes esse utilissimas; Claves toti Ecclesie in persona Petri datas esse ad unitatem denotandam. — Prætereo multa alia disciplinae & morum capita, quæ in summario ejus operum a nobis conscripto notari possunt, vel quæ quisque potest ea opera legendo colligere, utpote quæ sint omnibus utilissima." Hoc summarium invenies apud ipsum DUPIN loc. cit. in vita hujus Sancti.

cultatum secundum totum suum influxum in integram juris-
 prudentiam publico ecclesiasticam cum suis sequelis ad feve-
 rior s hermeneutices crisin satis enucleatus venit, sed potius apud
 Doctores reperitur mirifica & multifaria ejus expositio atque ap-
 plicatio, & ideo huic auxiliatricem manum pro viribus adhibere
 statutum erat. *Alterum*, quod utilitate, gravitate, nobilitateque
 minime cedit, difficillimarum materiarum uni, at neque ad
 justam stateram adpensæ, destinatum erat. Inscriptio pla-
 cet: *De plenitudine potestatis pontificiæ ad statum Germaniæ ad-
 plicata.* Dissocabam thema in Capita tria, quorum *primum*
 de plenitudine potestatis pontificiæ ex *principiis juris publici*
universalis acturum erat. Quælibet potestas & secularis &
 ecclesiastica certis & inviolabilibus, quæ jus publicum uni-
 versale dicat, principiis regitur, *ex sine* utriusque potestatis
 potissimum desumendis. Quælibet potestas in suo regimine
 gaudet plenitudine potestatis, attamen intra justos cancellos
 reponenda; ni summa imis, ni ipsam legem naturalem teme-
 re involare, vel ausu maligno evertere velis. His & aliis de-
 mum præsuppositis, atque examine æquo ad genuina princi-
 pia revocatis ad Caput *secundum* transire mens erat. *Hoc si-*
stit historiam plenitudinis potestatis pontificiæ ab origine ec-
 clesiæ usque ad novissima tempora in plures sectiones seu epo-
 chas divisam. Campus hic ad exspatiandum certe amplissi-
 mus, si, quod ordo thematis poscit, in fontes historiæ Germa-
 nicæ, in fecundissimam præprimis diplomatum segetem b)

* 3

ex-

b) Conf. PET. GEORGISCH regesta chronologica diplomatica.
 MARINGII bibliotheca diplomat. sect. 4. & 5. in præstantissi-
 mo





excurrere velis. Intuere, lector, tantum vel unica viri de republica litteraria optime meriti Cel. WÜNDTWEINI *subsidia diplomatica ad selecta juris Ecclesiastici Germania & historiarum Capita elucidanda*; quem tibi thesaurum ejusmodi opera in amplianda, & ditanda jurisprudentia ecclesiastica Germanica, & in substracto themate nostro propinent, vel primo obtuitu facile judicabis. c) *Tertium* denique Caput explanat *Principia* circa plenitudinem potestatis pontificiæ in *Germania*, pro duplici nexu, in Imperio, & singulis territoriis observanda. Uberrima hic se offert occasio proponendi, defendendi, quæ virum Germanum decent; quæ leges libertatum ecclesiæ Germanicæ & Imperii suadent ac jubent. Ad utrumque jam thema collegeram & digesseram multa. Atenim copia materiæ ita crevit, ut ad gradum festinans, & vocatus, filum abrumpere, plenorem vero thematis discussionem in tempora magis opportuna differre coactus fuerim. Mutare itaque consilium fa-

mo opere: clavis diplomatica pag. 57 — 130. edit. nov. de 1754. Pütters Handbuch der E. Reichs-Historie pag. 15. seq. edit. 1772.

c) Conf. viri summi DE LYDEWIG præfatio *de usu & præstantia diplomatum & diplomaticæ artis* præmissa tom. 1. *Reliq. manuscript.* Lipsiæ MDCCXX. RUDIMANNI schediasma *de utilitate diplomatum civili & historica* MDCCXXXVIII. in BARINGII clave diplom. pag. 369. seq. n. 7. ECKARDI præmium ad *introductionem in rem diplom.* de necessitate, utilitate & subsidiis rei diplomaticæ in specie §. 21. vir amicissimus P. HEDDERICH. *de diplomatum usu in jurisprudentia Germanica præcipue ecclesiastica.* Bonnæ MDCCLXXVII.



latius duxi, quam gravissima themata inter academicos & alios labores ex penuria temporis & simul ex defectu subsidiorum mutila dare: ut tamen saltem Cathedræ meæ, & concredita mihi juventuti academicæ utilis fierem, *systema* thesium juris-prudentiæ Canonicae elaborare mens erat, ita comparatum, ut tum pro basi prælectionum encyclopedicarum inservire possit, quas præmittendas esse bonæ methodi leges summo-pere suadent; per eas enim Auditores totam materiam in collegio tractandam in sua connexionem inspiciunt, & cum exinde ipsimet amcenitatem, præstantiam, utilitatem atque necessitatem juris Canonici statim ab initio intelligant, tunc eo magis cupidi atque attenti ad futura redduntur: tum etiam ut *systema* illud peractis Collegiis justa anacephaleosis esset. Dum hæc agebam, sero quidem, at opportune accepi *Synopsin juris ecclesiastici publici & privati, quod per terras hereditarias Augustissimæ Imperatricis MARIAE THERESIAE obrinet Vindobonæ MDCCCLXXVI.* opera Reverendissimi atque doctissimi viri D. RAVTENSTRAVCH Ord. S. Benedicti Abbatis Brzeuroviensis in Braunau & sacrae theologiae facultatis in universitatibus Vindobonæ & Pragæ Cæsarei Regii Præsidis ac Directoris, natam; de cujus occasione & sine Cl. SCHOTT* audire juvat: "Um den Le-
"ser

* In der unparteyischen Critik über die neuesten juristischen Schriften. 75. Stück pag. 431. seq. Rechte concludit Cl. SCHOTT dicendo: "Uebrigens muß gegenwärtige Arbeit das Verlangen der Kenner und Liebhaber, die schönen *Institutiones juris Ecclesiastici*, mit deren ersten Theile der Herr Abt vor einigen Jahren das Publikum beschenke, aus dessen gelehrten und
"gründe

"fer in den Stand zu setzen, dieses der Bogenzahl nach kleine,
 "aber an Materie reichhaltige, und an Gründlichkeit wichtige
 "Büchlein aus dem rechten Gesichtspunkte zu betrachten, muß
 "ich folgende, zwar nicht in einem Vorberichte hier gegebene, je-
 "doch durch eine zuverlässige Quelle mir bekannt gewordene
 "Nachricht von dessen Entstehung und Absicht vorausschicken.
 "Die Sätze aus dem Kirchenrechte, über welche man bey öf-
 "fentlichen Disputationen auf den hohen Schulen in den De-
 "sterreichischen Erblanden zu streiten pflegt, waren bisher oft
 "von der Beschaffenheit, daß sie zu bitterm Beschwerden und
 "Zänkereyen Anlaß gaben. Um diesem Uebel abzuhelfen, ist
 "auf allerhöchsten Befehl gegenwärtige *Synopsis* von dem be-
 "ehrmten und verdienstvollen Herrn Abt Rautenstrauch,
 "dessen Nahme jedoch auf dem Titel nicht steht, in der Absicht
 "entworfen worden, daß in Zukunft in den dortigen Universi-
 "täten und Klöstern zu öffentlichen Disputationen über das
 "Kirchenrecht keine andere, als aus diesem Vorrathe gewählte
 "Sätze, gebraucht werden dürfen. Es besteht daher dieser,
 "obgleich übrigens systematisch und in der Gestalt eines klei-
 "nen Lehrbuchs abgefaßte Auffasß bloß aus den vorzüglichsten
 "und hervorstechenden Sätzen über eine jede Materie, voll-
 "kommen zum Disputiren eingerichtet. Was die Ordnung
 "betrifft: Et circa finem ita ait: Noch muß ich zur Erläute-
 "rung des Titels dieses Werkgens bemerken, daß darunter nicht
 "etwan ein Auszug aus dem besondern Oesterreichischen Kir-
 "chen-

"gründlichen Feder bald vollständig zu erhalten, allerdings aufs
 "neue rege machen."

Kirchenrechte, als wodon nur einige der merkwürdigsten Sätze
 hier und da mit angebracht sind, zu verstehen seye. — Es ist
 vielmehr wirklich ein Inbegrif von dem gemeinen Canonis-
 schen und Deutschen Catholischen Kirchenrechte, jedoch nach
 solchen Grundsätzen vorgetragen, wie es in den Oesterreichi-
 schen Landen wirklich gilt. Atque hæc relata veritate histo-
 rica niti, convincimur lege publica ejusdem AVGVSTISSIMAE
 IMPERATRICIS hanc ipsam synopsin 5. Octobris MDCCLXXVI,
 subsecuta: "daß diese Synopsis zur Richtschnur genommen,
 "und bey allen Disputationen, welche sowohl auf Oesterrei-
 "chischen Universitäten, und Lyceis, als auch in den Klöstern
 "würden gehalten werden, zum Grund gelegt werden solle." *
 Perlecto mox avide præstantissimo libello varia suggerebant,
 hunc ipsum reimprimendum esse; quod nec eruditis ingra-
 tum fore mihi facile persuadebam, cum hac via communice-
 tur libellus, qui etiam sua raritate, quod non infrequens im-
 pressorum Vindobonensium est fatum, in nostris partibus se-
 fatis commendat. Ipse vero libellus, quin attingam omnes
 illius virtutes, correspondet optime fini systematicæ introdu-
 ctionis in vastissimum juris Canonici campum; fovet princi-
 **
 pia

* Uti formalia sonant in actis historico eccles. nostri temporis
 III, Band 22. Th. pag. 760,



pia sincera; nutrit concordiam inter sacerdotium & Imperium; "curandum enim omni legitimo ac meliore modo, "ut pax & concordia inter ecclesiam & rempublicam perpetuo retineatur; atque adeo, quoad fides & religionis jura "patiuntur, vitandas esse occasiones offensionum, unde & dissidia oriri & gravia mala in religionis detrimentum timeri "possent."* Ut itaque his meliora in sciagraphia dari vix possint. Qui eadem vero, propriis tantum substitutis verbis, vel mutato hinc inde ordine, tædio sæpe eruditorum, recuquere audet, mihi tempus & oleum perdidisse videtur. Summam porro attentionem meretur, quod dictus sæpe libellus sit liber *publicus* per terras Austriacas vigens. Sic edocemur omnes multa hic in terris apprime catholicis, sub Imperio & jussu Imperatricis piissimæ, non clam, non sub. & obreptitæ, sed publice, in conspectu ejus & eorum, quorum est excubare pro causâ inviolabili & gloria sponsæ CHRISTI, tradi, agnoscici,

* Acta in Consistorio secreto habito a sanctissimo D. N. PIO VI. pag. 13. secundum editionem Trevirensis, quæ propter Epistolam pastorem ipsius Reverendissimi suffraganei HORTHEMII ad clerum & populum Trevir. & posterius Breve Apostolicum Romæ & ceteris primis in Germania editionibus est præferenda,

ci, approbati, quæ venerandæ antiquitatis inscius timet; quæ semidoctus maledicit; quæ pusillanimum terrent; quæ multiformis, sibi que non satis constans politica alibi terrarum contradicit. Quid de hac synopsi ipsa adeo Roma sentiat, audi Autorem anonymum der Erörterung der Frage: Ob ein Landesherr Ehehindernisse setzen könne? * sic loquentem: "In Rom selbst haben gepurpurte und andere ansehnliche Kirchen-Prälaten diese von dem Herrn Abten von Braunau aufgesetzte Synopsin so wie den von eben demselben gemachten Entwurf des theologischen Studiums, d) ohngeachtet

** 2 tet

* Erörterung der Frage: Ob ein Landesherr Ehehindernisse setzen könne? Frankfurt und Leipzig 1777. pag. 22, not. a.

d) Ut lector, cui delineationes theologicæ hujus dignissimi Directoris ad manus non sunt, judicare possit, de earum soliditate & profunditate, ac de ejus ab omni privato partium studio alieno animo, tantum hoc unicum apponere placuit ex ejus Anleitung und Grundriß zur Systematischen Dogmatischen Theologie. Wien 1776. pag. 5. sic loquitur: "Wierens: ein Mißbrauch, wenn man die Dogmatik ad mentem S. Augustini, Thomæ, Scoti u. s. f. beritelt und einrichtet. Die Dogmatik ist ein scientiösisches System der Glaubenslehren

IL

"tet der sogar bey dem S. officio von den P. P***** dawider
 "eingegebenen Klagen und anderer heftigen Angriffe, ganz gut
 "befunden. Eine wahre Ehre, und ein wahrer Vortheil für
 "den Römischen Hof sonohl als für die Kirche selbst, man
 "mag die Sache nach dem Evangelium oder nach der Staats-
 "klugheit erwägen. Hätte man die Concordiam sacerdotii
 "& imperii öfters und vorlängst auf diese Weise erhalten könn-
 "nen, so wäre uns in der Geschichte der mittlern finstern Zei-
 "ten

Jesu Christi; sie muß also auch *ad mentem Jesu Christi*
 vorgetragen werden. Die Lehren, welche die theologischen
 Schulen aus ihren Häuptern, von denen sie den Namen füh-
 ren, wählen und annehmen, sind Nebensachen, und öfters sehr
 entbehrliche Nebensachen, von denen man die Theologie weder
 benennen, noch sie zur Hauptsache machen soll, wie es leider!
 öfters geschehen, da man die Dogmata Fidei nur kurz und
 obenhin, die quaestiones und doctrinas scholasticas aber, be-
 sonders die, so eine theologische Sekte, z. B. Die Augusti-
 nianische von der Thomistischen, oder diese von der Scotisti-
 schen unterscheidet, mit erstaunlichen Weitläufigkeiten und
 Erörterungen auch der kleinsten Umstände, vorgetragen hat,
 so daß es schien: als wäre den Lehrern mehr am Herzen ge-
 legen, ihren Sekten viele Anhänger zu verschaffen, als wahre
 Theologen zu bilden.

”ten das| Angehen vieler Nachtheile der Religion und der
”Staaten ersparet worden.

Exemplum hic in terris hæreditariis Domus Austriacæ
intuemur, præunte Gallia, *illustre & efficacissimum* ad dissi-
pandas nebulas ex medio ævo superstites; ad ejienda ex ca-
thedris somnia Doctorum ex asse Decretalistarum & Schola-
sticorum; ad reducendam, ubi omnes potestates se osculan-
tur, in folium prislinum veritatem; vulnus enim per cathedras
inflictum per cathedras medicam iterum exposcit ma-
num: cum doctrinæ in scholis sive publicis sive privatis per-
sonantes transeant in Ecclesiam atque statum, interest sane
summorum Imperantium tam Ecclesiasticorum quam secula-
rium, ut illarum curam sibi quam maxime commendatam
habeant, ut lites, dissidia atque turbæ vel evitentur, vel fi-
niantur aut dogmata Ecclesiæ vel statui noxia præcaveantur,
atque ita floreat ordo & communis tranquillitas conservetur.
Notatu hic dignum est consilium illud, quod WILHELMO III,
Angliæ Regi a celeberrimo LOCKIO olim datum fuisse, refert
MAICHEL *) EX RICHARDO STEELIO; scilicet: *”solicitam ipsi*

** 3

(Regi)

*) In dissertatione de jure Principis circa doctrinas publicas,
Tubingæ 1743. S. 4.



(Regi) curam gerendam *Academiarum*, nisi brevi tempore, quae sapientissime pro salute Regni Anglicani ordinasset, gessissetque, eversa & peritura vellet. Quois verbis STEELIUS mox addit sequentia: Hoc vero monitum, tanquam ab homine, schola potius, quam curiae apto profectum, ut contemneret, Regi auctorem fuisse aliquem ex Proceribus nobilissimis, tum adstantibus. Enimvero quam prudens illud fuerit, eventum jam satis probasse, dum, quod in lectionibus publicis instillatae sint animis Auditorum doctrinae illa de obedientia passiva, & qua his similes, multa inde mala in Ecclesiam atque statum Regni politicum profluxerint. Exemplum, inquam, efficacissimum ad funditus supprimendam Authorum dicendi licentiam, qui aut privato suo compendio serviendi, aut, optima licet voluntate, vel sola ignorantia duce sacerdotium & Imperium misere collidunt, & ipsum sanctuarium Domini profcindere nihili faciunt. Recte monuit doctiss. FLEURIUS *): "Optima licet voluntas, si scientia destituatur, in graves errores impellit, & quo velocius per tenebras properamus, eo saepius & majore periculo cadimus. Alibi vero hic summus cordis humani scrutator, &

*) In dissert. IV. in hist. Eccles. §. I.



& religiosissimus Abbas: *) "Ignorantia ad nullam rem utilis
est. Et nescire me fateor, ubi illa incitiam reperiatur, qua,
ut nonnulli jaclant, virtus custoditur." Ad consolatandas, &
roborandas ecclesiarum nationalium & regnorum *libertates*,
quarum defensio nec est systema nostris diebus ortum, nec
novitatem spirans, & licet hæ non raro afflictæ fuerint, raro
tamen suppressas, imo sæpius vindicatas esse nos historiae ci-
viles & ecclesiasticae pragmaticæ, leges fundamentales eccle-
siarum, atque regnorum, observantia inviolabilis, & alia do-
cent. Error communis est, qui justum systema libertatum
ex solis Theologorum voluminibus, ex opinionibus scholæ,
ex puris decretalisticis, vel autoritate unius, quorundam aut
plurium eruditorum privatorum, admitto, si velis, etiam ce-
leberrimorum, dimetiuntur. Quis hæc contradictiones tot
capitum conciliabit? Fateor aperte, & mecum fatebuntur
omnes qui studium libertatum ex ipsis fontibus, ex actis præ-
missis publicis, & immenso diplomatum thesauro haurire
non timent, a multis retro sæculis *Praxin* ecclesiarum & re-
gnorum in multis a sententiis scholæ vel doctorum privato-
rum alienam stetisse, stare adhuc, & cum ipsis normis fun-
damentalibus staturam porro; quidquid imbelles mustitent
contra

*) In dissert. III, in hist. Eccles, §, 12,



contra. Qui eruditorum hæc non videt, si suo iudicio nimium fidat, imputet sibi, si cum nominis sui ingloria meliora discere sæpe cogatur. Synopsin hanc cum notis criticis explicantibus illustrantibusque & variis additamentis præfertim ad jus canonicum Archidiececeseos nostræ pertinentibus ac applicantibus edere propositum erat, sed ab hoc rationes altioris indaginis me modo detinere. Vale.





UNIVERSI JURIS ECCLE-
SIASTICI

TUM PUBLICI TUM PRIVATI
PROLEGOMENA,

DE

GENUINA JURISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE INDO-
LE, PARTIBUS, AC DIVISIONE.



I.



Jurisprudentia Ecclesiastica est scientia legum Ecclesia-
sticarum conjuncta cum habitu leges ad facta appli-
candi.

II. Ut leges hae recte & intelligantur & ad facta applicentur,
determinationes Legum diligenter evolvendae sunt,

A

III,



III. Igitur & rationes legum diligenter perferatandæ.

IV. Rationes legum uti sunt multijugæ, *philosophicæ, historicae, arcanae*: ita ea cognitio Juris est perfectior, quæ plures legis rationes complectitur. Et

V. qui rationes legis perspicit, is *Spiritum legis* tenet.

VI. Hinc liquet, quam non utilis modo, sed & necessaria ad solidam Jurisprudentiam Ecclesiasticam *Philosophiæ moralis, Juris naturæ*, ac imprimis *Historiæ ecclesiasticæ* cognitio.

VII. Jus Ecclesiasticum aliud *divinum & humanum, publicum & privatum, scriptum & non scriptum, Vetus, novum & novissimum*.

DE ORIGINE ET PROGRESSU JURIS ECCLE-
STASTICI.

VIII. Nascente Ecclesia leges perpaucæ.

IX. Auctæ illæ Conciliorum Decretis, unde *Codices Canonum* multiplices orri, *Codex Canonum Ecclesiæ Græcæ, Romanæ, Africanæ, Hispanicæ* &c.

X. In Germania sola vetus Canonum compilatio obtinuit, donec Carolus Magnus collectionem *Dionysianam* Romæ ab Hadriano Papa post medium seculi VIII. acceptam, domum referret.

XI. Exeunte seculo VIII. *Jus novum ecclesiasticum*, sub schemate tamen antiquitatis disseminatum est per collectionem Canonum *Isidori Mercatoris*.

XII. A cujus temporibus auctus admodum est collectionum numerus; inter quas in Germania collectio *Capitularium Regum Francorum* emittitur, libris VII, a Benedicto Leyita Moguntinensi comprehensa.

XIII.

XIII. Celebriores cetera collectiones erant, *Reginonis, Burchardi, Ivonis & Gratiani*, cujus postremi collectio brevi in scholis & foris civitate ubivis donata fuit.

XIV. Seculo decimo tertio ineunte Pontifices Romani ipsi collectionibus Canonum edendis animum adiecerunt, Innocentius III. *Innocentiana*, & Honorius III. *Honoriana*, quas tamen longe postea superavere *Libri V. Decretalium* auctoritate Gregorii IX. collecti, & ab eodem anno 1234. ad Doctores & scholares Academiae Bononiensis missi.

XV. His a. 1298, *Sextus Decretalium* auctoritate Bonifacii VIII. additus.

XVI. Librum VI. Decretalium subsecuta sunt a. 1317. *Constitutiones Clementinae*; & has demum *Extravagantes Joannis XXII.* & *Extravagantes communes*.

XVII. Atque his Collectionibus *universum Jus Canonici Corpus* absolvitur, dum, quae postea conditae leges sunt, non amplius in *Corpus Juris Canonici* referebantur, quorum complexus ideo *ius novissimum* audit, cujus partes nobiliores sunt, *Concilium Constantiense & Tridentinum*.

XVIII. In Germania *juris novissimi* partem insigniorem *Concordata Germaniae, Pax Religiosa & Westphalica* constituunt.

XIX. Ita crevit in molem ingentem *Jus Canonicum*, quod per octo prima Ecclesiae secula codice non valde amplo continebatur.

XX. *Jurisprudentiae Ecclesiasticae* forma in nascente Ecclesia admodum simplex erat.

XXI. Vitium traxit illa primum per *Isidori* pseudo Decretales, ac demum seculo 12. per *trituram forensis*.



XXII. Ausit malum abusus methodi scholasticae, ac omnium maxime nocuit methodus sophistica, & problematica.

XXIII. At renatis melioribus litteris & illa perpurgari cepit.

DE PRINCIPIS JURIS ECCLESIASTICI.

XXIV. Quandoquidem Jurisprudentia Ecclesiastica scientia est legum Ecclesiasticarum, principiis certis & indubiis illa nitatur oportet, unde doctrinam suam de legibus deducat. Quare cum aliae quidem in Jure Ecclesiastico leges *divinae* sint, ab ipso Jesu CHRISTO latae, quas tum in *Scriptura Sacra*, tum in *Traditione* Ecclesiae reliquit suae: aliae *humanae*, quas seu *Apostoli*, seu successores eorum *Episcopi* in aut extra *Concilia* sanxerunt, relinquuntur: duo omnium prima Juris Ecclesiastici principia *Scripturam S.* esse atque *Traditionem*, cujus testes & depositarii *Patres Ecclesiae* sunt; deinde *Concilia*, *Decreta Episcoporum singulorum*, praecipuis *Pontificis Romani*. Atque haec quidem vulgo *principia proxima* vocantur.

XXV. At quoniam nonnullae disciplinae Ecclesiasticae exterioris partes saepe aliquid admixtum habent, quod ad statum Regnorum civilem pertinet, in his etiam Principibus, & Imperantibus civilibus jus, quae ad salutem publicam pertinent, dererminandi competere, res ipsa loquitur; quo fit, ut & *summorum Imperantium Civilium leges* inter Juris Ecclesiastici principia locum habeant suum.

XXVI. De ejusmodi disciplinae exterioris partibus interdum integrae nationes *pacta singularia* iniere, qualia in Germania sunt *Pax Religiosa*, *Westphalica*, *Concordata Germania* &c. quae proinde ex numero principiorum Juris Ecclesiastici non nisi immerito excluderis,

XXVII.



XXVII. Sed & *Juris naturalis* leges inter principia *Juris Ecclesiastici* collocanda. Ut enim religio *revelata* religionem *naturalem* non destruxit, imo perfecit, ita & leges *Juris naturalis* obtinere etiamnum in Ecclesia debent.

JUS PUBLICUM ECCLE- SIASTICUM.

DE

ORIGINE, NEXUQUE PRIMIGENIO SOCIETATIS CHRISTIANAE GENERATIM.

XXVIII. Servator mundi *CHRISTUS* *JESUS* quum inter homines vitam ageret, interitum legis *Mosaicae* non annuntiavit modo per sepe, sed aliam etiam in ejus locum societatem instituit, a *Judaica* omnino diversam, quae *Societas Christiana* vocatur.

XXIX. Nexus instituitur hujus societatis per ejusdem verae fidei, eorumdemque Sacramentorum participationem, ac dilectionis mandatum, nec non per concessam societatis hujus pastoribus, principaliter *Petro*, & ejus successoribus *potestatem clavium* subsistit.

XXX. Quam societatem qui intrare vellent, per baptismum, ceu pactum solemne ad nexus hujus observantiam se se adstringerent.

XXXI. Societas igitur christiana divinae originis est. Est societas perfecta nexu animorum non interno solum, sed externo



etiam colligata cum unionis, tum subjectionis, nec non & pacti
solemnis.

DE LEGE FUNDAMENTALI SOCIETATIS
CHRISTIANAE.

XXXII. Quoniam porro formam, secundum quam societatem hanc suam Christus instituit, in Scriptura Sacra Novi Testamenti, tum in traditione orali nobis reliquit, liquet: Scripturam N. T. nec non Testamenti ejusdem traditiones divinas legem societatis christianae esse fundamentalem.

XXXIII. Unde sicut in Jure Ecclesiastico ad Verbum Dei scriptum, & traditum primo loco recurrendum, ita quae ex iis rite deducuntur, invictae sunt auctoritatis, modo ex genuino sensu Scripturae Sacrae, & traditionibus *vere divinis* deducta sint.

XXXIV. Quapropter uti sensus scripturae *divinus* a sensu *humano*, ita & traditiones *divinae* ab *ecclesiasticis*, & haec iterum a *vulgaribus* & *piis credulitatibus* probe sunt in jurisprudentia ecclesiastica discernendae.

XXXV. Et quoniam traditiones potissimum in scriptis *Patrum Ecclesiae* continentur, etiam de horum auctoritate, rectoque usu diligenter praecipendum in Jurisprudentia Ecclesiastica.

XXXVI. Neque tamen propterea scriptura sacra V. T. negligenda. Sunt enim illae aquae *Verbum Dei*, & quantum ad veritates *credendas* in iis contentas, credere eas hodie debet Ecclesia Christiana non minus, ac olim Judaica, eo solum discrimine, quod quae tum in figuris tantum nota, credebantur eventura, nos evenisse jam credamus.

XXXVII. At quantum ad *jus agendorum*, quod in iisdem V. T. scripturis continetur, sane leges illorum *ceremoniales, politicae,*

litice, & judiciales nihil ad nos atinent, qui alias tum Ecclesiasticas, tum civiles leges habemus.

XXXVIII. Quamobrem neque a *statu publico* Synagoge & a sacerdotio veteris testamenti ad *statum & sacra Ecclesie christianae* invicta valet consecutio.

XXXIX. Lucis tamen non parum ex V. T. libris accedit N. T. scriptis, ob utriusque nexum, & quod exemplo legis Mosai- cae haud pauca vigeant in Ecclesia Christiana.

DE JURE DETERMINANDI IN ECCLESIA, POTESTATE LEGISLATORIA ET JUDICIARIA,

XL. Jus determinandi cum correspondente obligatione paren- di Societatibus perfectis alioqui proprium, a Christo etiam Ecclesiae suae in potestate clavium, potestate ligandi & solvendi concessum esse, Scripturae N. Testamenti locis bene multis lucu- lenter perhibent.

XLI. Ac Juris hujus concessionem mox usus ipse praxisque vel in nascente Ecclesia comprobavit.

XLII. Quod tamen intra Sphaeram Sacrorum stetit.

XLIII. In jure determinandi porro quoniam potestas & Le- gislatoria continetur & judiciaria, utraque a Christo Ecclesiae con- cessa intelligitur, quam Apostoli etiam, eorumque Successores reapse exercuere.

DE JURE COGENDI IN ECCLESIA.

XLIV. Cum distributio bonorum Spiritualium, quae e So- cietate Christiana promanant, Ecclesiae divinitus concessa sit, non temere utique, sed prudenti cum judicio facienda: Ecclesia etiam jure pollet subtrahendi eadem bona immerentibus; proin & sub- tractione



tractione horum bonorum *cogere* fideles potest ad obediendum legibus illis, quarum faciendarum & penes Ecclesiam jus est, & penes fideles obligatio parendi.

XLV. Id quod dum agit Ecclesia, *excommunicare* dicitur. Jus igitur ferendi excommunicationem ex instituto manat divino, excommunicatioque privatione *Communions Sacrorum* continetur.

XLVI. Unde quos ceteros effectus civiles annexos habet excommunicatio, eos ex Principum consensu habet.

DE SACRO ECCLESIAE IMPERIO.

XLVII. Quoniam ubi potestas *judiciaria, legislativa, & jus cogendi* est, ibi & *Imperium* est; Ecclesiae quoque *imperium* divinitus concessum esse, negari nequit.

XLVIII. Quod tamen quum imperium mere *Sacrum* sit, & intra sphaeram *Sacrorum* contineatur; Majestati civili nec quidquam detrahit; & utrumque suo in genere summum manet & independens.

XLIX. Sed & modus administrandi Imperii sacri a modo civilis Imperii permultum differt; quippe in quo nullus dominio eminenti, & dominatui, prouti Christus, & Petrus illum excludunt, locus fit, in quo salutem publicam non liceat interitu privatorum conservare, nec poenas irrogare ejusmodi, quibus quenam perdat, sed solum quibus poenitentibus salutem conciliet.

L. Unde facile intelligitur, cur illud *ministerium* similis esse Christus voluerit, & legem Imperii sacri praecipuam posuerit *legem dilectionis*.

LI. Imperium sacrum porro Ecclesia omnium semper splendidissime in Conciliis generalibus exercuit; quorum ut firmior



mior adhuc & inexpugnabilis esset auctoritas, privilegio inerrantiae in fidei, morumque controversiis determinandis Christus illa munivit.

LII. Quum tamen primis Ecclesiae seculis Concilia generalia celebrari ob gentilium persecutiones haud possent, a tempore Constantini M. usque ad Ferdinandum I. Imperatorem unum & viginti numerantur Concilia generalia, quorum octo priora in Oriente, cetera in Occidente sunt celebrata.

LIII. Quae porro Conciliorum horum definitionibus in rebus fidei, & morum inerrantia competit, non ea ad res Disciplinae etiam pertinet, de quibus proin cum leges sanciant, mutationi illae utique sunt obnoxiae. Quare videndum semper diligenter, num leges illae ubi receptae, aut abrogatae iterum, seu consuetudine, seu legibus posteriorum Conciliorum.

DE FORMA IMPERII SACRI.

LIV. Imperium sacrum Christus non quibusvis de populo, sed solis Apostolis contulit, ac inter hos praecipuo quodam modo Petro, ut is & ipsorum Apostolorum caput esset, quo ita Ecclesiae unitas conservaretur. Atque haec Petri in Imperio sacro praerogativa *Primatus Petri* vulgo appellatur.

LV. Quemadmodum autem Imperium sacrum non intra fines *nudi directorii*, aut sola praerogativa honoris consistit: ita & illud, quod in ipso hoc imperio peculiare Petro praeter ceteris Apostolis datum fuit, id est *Primatus Petri*, *Primatus auctoritatis* & *jurisdictionis* sit oportet.

LVI. Quumque institutum hujus *Primatus* causa finisque omnis in eo esset, unitas ut conservaretur in Ecclesia: sane non immerum Petri privilegium *personale* fuit, sed *reale*, in Ecclesia

B commo-





commodum perpetuo impertitum, perinde ac reliquum Imperium sacrum Apostolis concessum.

LVII. Quamobrem regimen Ecclesiae, quale quidem divinitus institutum accepimus, haud *mere* est *monarchicum*, sed *aristocratia temperatum*.

DE SOCIETATE ECCLESIAE INAEQUALI, SACRAQVE IN EA HIERARCHIA.

LVIII. Ex constituto divinitus in Ecclesia Imperio recte consequitur, Ecclesiam esse societatem *inaequalem*, & Rempublicam quandam sacram, in qua nempe sint alii, qui imperium exerceant, alii, quorum sita in obediendo gloria.

LIX. Immo quoniam praeter Primatum Petri, quo unus ceteris eminet, alii adhuc in Ecclesia sunt, quibus portio varia, varietate potestatis sacrae gradus qua divino, qua ecclesiastico instituto concessi sunt: in Ecclesia ordo quidam, & subordinatio inter ipsos Imperantes sacros, id est quaedam *Hierarchia* viget, divino partim, partim ecclesiastico instituto promanans.

LX. Dispefitur illa vulgo in hierarchiam *Ordinis*, & hierarchiam *jurisdictionis*. Prior eorum, quorum magis in *ministerio*, haec vero quorum in *jurisdictione* magis potestas elucescit, seriem complectitur.

LXI. Ac quam quidem instituto divino accepimus, hierarchia, *Episcopis*, *Presbyteris*, & *Ministris*, seu *Diaconis* absolvitur.

LXII. Ceteros gradus Ecclesia suo five instituto, five moribus ceterum adjecit; scilicet ad *hierarchiam Ordinis Subdiaconos*, *Lectores*, *Ostiaris*, *Exorcistas*, *Acolythos* &c. Ad hierarchiam *jurisdictionis* *Metropolitans*, seu *Archiepiscopos*, *Patriar-*



*Patriarchas, Cardinales, Archi-Presbyteros, Primicerios,
Præpositos, Decanos &c.*

PARS II.

DE JURIBUS IMPERANTIUM IN
ECCLESIA.

DE JURIBUS SUMMI IN ECCLESIA PRIMATIS,
ROMANI PONTIFICIS.

LXIII. **P**ostquam divus Petrus Ecclesiæ Romanæ regendæ immortalus est, quorquor post illum rite electi eidem Ecclesiæ præfunt Episcopi, eos & jure, & merito universa Ecclesia etiam Petri in Primatu successores agnoscit.

LXIV. Primatis hujus jura ut sunt hodie multijuga, ita non omnia uniusmodi. Sunt alia *essentialia*, seu quæ *institutione divina* competant, quo refertur 1. jus petendarum, recipiendarumque relationum & appellationum ad servandam unionem fidei, 2. In terminandis fidei controversiis *partes ejus* inter ceteros Episcopos *præcipua*. 3. Jus convocandi Concilia, iisque præsidendi, celebrataque confirmandi. 4. Jus primario defendendi causas fidei. 5. Jus tutandi, vindicandique observantiam canonum per omnes Ecclesias. 6. Jus ferendi *leges disciplinares universales*, quæ tamen ut ubivis obligent, promulgationem earum in singulis diæcesibus per Episcopos diæcesanos faciendam, accedere oportet, neve juribus singularibus Ecclesiarum, aut Regnorum sint contrariæ. Unde quali polleant auctoritate *Libri Decretalium, Clementinæ, Extravagantes, Decretum Gratiani*,



Gratiani, nec non Curiae Romanae tribunalium declarationes & sententiae facile intelligitur. 7. Jus relaxandi canones Conciliorum etiam generalium in casibus particularibus, in quibus nempe Concilia ipsa legis gratiam facerent secundum dispensationum regulas in Conciliis praescriptas. 8. Jus devolutionis supremum, quo Pontifex Romanus desciscentes ab officio Praelatos, ad muneris expletionem revocare, & ita negligentiam eorum supplere valeat, salvis tamen *devolutionibus intermediis*.

LXV. Alia jura Primatus sunt *accidentaria*, seu quae non divino promanant instituto, sed aliunde accessere, & serioribus temporibus Pontifici Romano reservata sunt; quo pertinent 1. Jus *confirmandi* Episcopos; 2. Jus eosdem consecrandi, 3. transfereendi, 4. Jus admittendi resignationes Episcoporum, 5. Jus exauktorandi Episcopos, 6. Jus erigendi novos Episcopatus, 7. Jus uniendo, dividendoque Episcopatus, 8. Jus beatificandi & canonizandi, 9. Jus approbandi, tollendoque instituta Religiosorum O. dinum &c.

LXVI. Ad neutram jurium istorum classem potestas illa Pontificis pertinet, quam vulgo *indirectam in temporalia Regum* vocant, & qua ille etiam *de temporalibus Regum* praecipere, ac eos Regnis etiam multare possit, si Ecclesiae salutique animarum noceant. Tantum enim abest, ut haec Pontifici jure aliquo competat, ut etiam spiritui Ecclesiae contraria sit.

LXVII. In fidei, & morum quaestionibus summi Pontificis inter ceteros Episcopos praecipuae sunt partes, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinent.



DE CETERIS ROMANI PONTIFICIS PRAETER PRIMATVM DIGNITATIBVS, AC INDE MANANTIBVS JURIBVS.

LXVIII. Præter Primum Pontifex Romanus dignitate *Patriarchatus* per universas Occidentis Ecclesias fulget. Sustinet ad hæc personam *Primatis*, seu *Exarchi* totius Italia. Præest simul tanquam *Metropolita* Provinciae Romanæ, quæ non centesimo ab urbe Roma lapide, ut Salmasio & Gothofredo visum, continebatur, sed *regiones decem suburbicarias* olim complectebatur. Est denique *Episcopus Urbis Romæ*, ac ita juribus gaudet potestatis dicecesanæ in paræcia Romana.

DE SENATU ROMANI PONTIFICIS CARDINALITIO, HUIUSQUE JURIBVS.

LXIX. Quum olim nomen *Cardinalis* commune esset ministrorum Ecclesie, qui alicui Ecclesie perpetuo addicti, & velut *incardinati* erant, ut perinde fecernerentur ab iis, qui jure fiduciario & nomine administratorio Ecclesiis ad tempus præficiuntur: tandem solis illis nomen hoc reservatum est, quibus post Nicolai II. tempora eligendi Pontificis potestas commissa.

LXX. Coaluere hi postea in peculiare Collegium Cardinalitium, & in brevi splendidissimis aucti sunt decoribus & juribus. Ac decora quidem consistunt in proedria, qua Episcopus quosvis, Archiepiscopus, ac Patriarchas antecedunt — in veste & galero purpureis — in titulo *eminentissimi*. Jura autem: quod primos agant Pontificis Consiliarios — præcipuis Romæ præsint *Congregationibus* — fungantur munere *Protectorum* ad curanda negotia Regnorum & Principum — vocentur ad generales Ecclesie Synodos, in quibus ex jure consuetudinario voto gaudent *de*



civivo — sede vacante fungantur Imperio civili & politico in omnibus Ecclesie Romanæ provinciis — gaudeant denique jure eligendi Pontificem *privative*.

DE CURIA ROMANA, VARIISQUE SUMMI PONTIFICIS
TRIBUNALIBUS.

LXXI. Postquam Tribunalibus forma judiciorum civilium, atque tritura forensis in Ecclesiam per pontifices est introducta, *Ecclesie Romanæ* etiam *Curie Romanæ* additum nomen est.

LXXII. Pro immensa quasi negotiorum multitudine plurimas quoque illa veluti curias minores complectitur, inter quas *Consistorium Cardinalium* eminent. Ceteræ ad duo veluti summa genera referri solent, ut primum genus sit earum, quæ negotiis *contentiosis*, alterum illarum, quæ mere *gratiosis* negotiis curandis destinatæ sunt.

LXXIII. Curiarum harum potestas etsi tum ex sese, tum relate ad regiones varias, varia est, haud tamen major esse potest, ac sit Romani Pontificis, cujus illa nomine exercetur.

DE LEGATIS ET VICARIIS SEDIS APOSTOLICAE.

LXXIV. Missio Legatorum etsi consecrarium esse videatur juris *supremæ & generalis Inspectionis*, quod Pontifici pro unitate fidei, ac bono disciplinae Ecclesiasticæ per universam Ecclesiam competit, & etsi seculis Ecclesie anterioribus reapse missi sunt seu ad Concilia generalia, seu ad aulas Imperatorum, aut Ecclesias particulares non infrequenter Legati Pontificii: tamen crebriores longe evasere hæ Legationes, & a prioribus potestate, modoque procedendi plurimum diversæ, seculo IX. ac speciatim a temporibus Nicolai I. Pp.

LXXV.



LXXV. Quare Legatis his modus postea positus, datæque primum leges, quæ expensas & procuraciones moderarentur, ac potestas eorum demum accisa est sanctionibus Conciliorum Constantiensis & Basileensis, *Concordatis Germaniæ*, ac denique in synodo Tridentina.

LXXVI. Quamobrem & Legatorum modernorum, quorum tria habemus genera, jura & potestas non ex jure *Decretalium*, sed ex decretis Concilii Tridentini potius, ex *Concordatis Germaniæ*, ac maxime ex moribus, usuque hodierno determinanda.

DE PATRIARCHIS, EXARCHIS, PRIMATIBVS ET METROPOLITIS.

LXXVII. Quatuor hi dignitatum Ecclesiasticarum gradus non divinæ sed humanæ institutioni natales debent suos.

LXXVIII. Initio tres solum in Ecclesia Patriarchæ numerabantur, *Romanus*, *Antiochenus*, & *Alexandrinus*, quibus demum additi *Constantinopolitanus* & *Hierosolymitanus*.

LXXIX. Etsi vero Patriarchæ hi illustribus semper præ ceteris Episcopis splenderent juribus, jurium tamen horum omnium, aut saltem plurimorum enumeratio omnium primum in Concilio generali VIII. deprehenditur can. XVII. XXI. & XXVI,

LXXX. Præter hos quinque *Patriarchas majores*, alii quidam *Patriarchæ minores* medio Ecclesiæ aëvo creati, quales hodiernum quatuor suspicimus, *Venetum*, *Lusitanum*, *Indiarum*, & *Cilitiæ in Armenia*.

LXXXI. Primates in Ecclesia dicuntur, quorum jurisdictio in plures provincias, earumque Metropolitanos sese exporrigit. Quorum jura ut olim plane erant insignia, veluti jus convocandi,
&

& ordinandi inferiores Metropolitans &c. ita illi hodie præter titulum vix quicquam habent præcipui.

LXXXII. *Metropolitans* dignitas moribus primum introducta, Conciliorum dein Canonibus stabilita fuit, veluti Concilio Nicæn. I. can. 4. & 6. &c. Quemadmodum enim civitas, quæ Metropolis civilis erat cujusdam Provinciæ, ceterarum ejusdem Provinciæ urbium caput salutabatur: ita pederentim, ac liberis moribus effectum, ut qui Episcopus urbis Metropolis esset, ceterorum etiam in eadem Provincia Episcoporum caput evaderet Præsesque; dictus idcirco *Metropolita*.

LXXXIII. Jura metropolitica vel *honoris* sunt, vel *jurisdictionis*. Illa absolventur jure prædicitæ, seu primæ sedis ante ceteros Provinciæ Episcopos — jure præferendæ crucis Archiepiscopalis — ac jure pallii, cujus quidem pallii origo nondum satis est eliquata.

LXXXIV. Hæc autem quæ olim essent amplissima, immiui cæpere jam inde a seculo IX. & deinceps, ad Tridentini usque Concilii tempora. Ac inter cetera, quæ eis ademta sunt, omnium maxime duo eminebant, jus nempe *confirmandi Episcopos*, ac *judicandi* eorundem causas majores, depositione vel degradatione dignas. Quorum illud in *Concordatis Germaniæ*, istud in Synodo Tridentina soli fuit Pontifici stabilitum, quamquam jam antea de Episcoporum criminalibus causis judicium Romano Pontifici esset reservatum.

LXXXV. Hodie itaque jurisdictionis Metropolitans in suos suffraganeos huc fere redit; ut 1. supplere possint ac debeant negligentiam Suffraganeorum tum in provisione beneficiorum, tum in administratione etiam justitiæ, saltem si causa aliqua per *appellationem* ad Metropolitanum devolvitur. 2. Ut Metropolitanus sit, scripto approbare causas absentia suffraganeorum a suis diocesis. Et 3. eosdem, qui ab elapso jam anno non resident, Pontifici



tifici denunciare. 4. Ut suffraganeos in erigendis seminariis defides corripiat. 5. Ut tertio quoque anno Concilium Provinciale indicat. 6. Ut visitare quidem diœceses suffraganeorum possit, *ast non nisi causa cognita & probata in concilio provinciali*; unde & jus hoc hodie ferme inutile effectum, dum synodorum provincialium celebratio in desuetudinem abiit.

DE JURIBUS EPISCOPORUM.

LXXXVI. Potestas Episcoporum originis & instituti divini est.

LXXXVII. Hac illi Presbyteris superiores sunt, hancque non a Romano Pontifice, sed proxime a Deo nanciscuntur.

LXXXVIII. Quare & diœceses suas regunt nomine & jure non quodam *vicario* Pontificis, & *beneficio alieno*, sed *jure proprio*, tanquam veri nominis hierarchæ a Deo instituti, subordinati tamen Pontifici ceu Primati universæ Ecclesiæ.

LXXXIX. Potestas igitur eorum, qua suis præfunt diœcesibus, *plenaria est & solida, ac ordinaria*; cujus cum pars præcipua sit præficere Pastores inferiores, in quos curam pastorem secure partiantur, collatio quoque beneficiorum ad eodem jure pertinet.

XC. Pertinet ad plenariam & solidam Episcoporum potestatem etiam jus visitandæ diœcesis; quam visitationem singulis annis ab Episcopis institui; aut si ob diœcesis latitudinem intra annum explere nequeant, biennio saltem absolvi voluit Synodus Tridentina.

XCI. Ex potestate imperii sacri, quod Christus Apostolis contulit, etiam Episcopis ceu eorum successoribus potestas *legislatoria, judiciaria, & coactrix* competit; quam exercere possunt
C seu



feu extra, feu in fynodo dicecesana, ad quam dicecessis suæ Clerum convocare possunt.

XCII. Collectorum in Conciliis generalibus Episcoporum nobilissima certe prærogativa est inerrantia illa & infallibilitas in determinandis *rebus fidei, & morum*.

DE EPISCOPIS GERMANIAE.

XCIII. Duo maxime peculiarem Episcoporum Germaniæ mentionem exigunt, insignis illa potestas civilis (*superioritatem territorialem* vocant:) quam Episcopi Germaniæ conjunctam cum sacerdotio tenent; ac dein mutatio, quam eorundem *jurisdictionis ecclesiasticae* in pace Westphalica subiit.

XCIV. Nimirum *Jurisdictionis* eorum Ecclesiastica in *Protestantes* suspensa est in pace *Religiosa* primum quoad aliqua solum capita, ac demum penitus in Pace Westphalica, tribus duntaxat adjectis casibus exceptis. Quorum primus est: *ad consequendos tamen redditus, census, & pensiones in iis Augustanæ Confessionis statuum ditionibus, ubi Catholici anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto notorie in possessione vel quasi exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, utantur eadem post-hac quoque, sed non nisi in exigendis hisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem, nisi post tertiam demum denunciationem Catholicorum* P. W. Art. V. §. 48.

XCv. Alter hisce continetur: *Augustanæ Confessionis additi status Provinciales & subditi, qui anno MDCXXIV. Ecclesiasticam jurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modo jurisdictioni dictæ subsint, qui Augustanam Confessionem nullatenus concernunt, modo ipsis occasione processus nihil injungatur, Augustanæ Confessionis vel conscientie repugnans.* Tertius denique

nique mox subnectitur his verbis: *Eodem etiam jure Augustanæ Confessionis Magistratum catholici subditi censeantur, inque hos qui anno MDCXXIV. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus diœcesanum, quatenus Episcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, saluum esto. S. cit.*

DE EPISCOPIS TITULARIBUS, ET COADJUTORIBUS EPISCOPORUM.

XCVI. Episcoporum titularium natales vetus Ecclesia ignoravit.

XCVII. Qui etsi veri sunt Episcopi, diœcesi tamen cum careant, sitque potestatis Episcopalis exercitium ad diœcesim adstrictum: exercitio potestatis Episcopalis destituuntur, nisi in quantum ab aliis Episcopis diœcesanis ad præstandum subsidiarias in curanda diœcesi operas adsumuntur.

XCVIII. Coadjutores Episcopis dantur a summo Pontifice etiam ad succedendum, salvis tamen juribus *nominationis*.

DE CANONICIS, ET CAPITULORUM CATHEDRALIUM JURIBUS.

XCIX. Cum jam inde ab Ecclesiæ primordiis Episcopi sua haberent *Presbyteria*, seu senatum quemdam Ecclesiasticum, cujus opera & consilio in rebus majoris momenti uterentur: Seculo octavo vitam illi communem agere cœperunt secundum Crodegandi Merensis Episcopi regulam monasticis institutis multum affinem.

C. Etsi vero hoc vitæ institutum postea iterum abjecerant, mansere tamen hodiernum coadunati in *Collegia*, seu in Congregationes Ecclesiasticas de vita ex certa regula, & statutis agenda,
C 2 divi-



divinisque officiis communiter in Ecclesia peragendis. Quæ si ex Clericis ecclesiarum *Cathedralium*, *Capitula cathedralia*; si ex Clericis aliarum ecclesiarum *inferiorum non cathedralium* consistunt, *Capitula ecclesiæ collegiate* vocantur.

CI. Ex quo autem bona Episcopi a bonis Capituli sejungere, corpus formare ab Episcopo separatum, ac denique reditus Capituli inter se partiri ceperunt Canonici, jura etiam & Prærogativas singulares pedetentim acquisivere, quæ tamen non sunt ubivis unius modi.

CII. In Germania certe prærogativa illorum splendidissima est jus, quod habent liberum eligendi Episcopos, qui S. R. I. Principes simul sint & Electores.

DE VICARIIS EPISCOPORUM.

CIII. Functionibus vice Episcopi obeundis, constituti olim *Archipresbyter* & *Archidiaconus*.

CIV. At his dum postea sola fere præminencia cum titulo relicta est, Episcopi jam inde a seculo XII. Vicarios peculiare, alios quidem *Officiales*, ad jurisdictionem *contentiosam*, alios *Vicarios in spiritualibus* ad partes jurisdictionis *voluntarie* in Diocesi exercendas, instituire ceperunt.

CV. Quare quum hi Vicarii potestatem suam beneficio alieno teneant, & illa adeo ex terminis Commissionis mensuram capiant suam: ex usu potissimum singularium diocesum, quanta potestate polleant, discendum est.



DE PAROCHIS.

CVI. *Parœcia* olim *diececesim*, hodie *diececeseos* partem duat-
taxat indicat, *cujus* incolæ *cœrum* quendam *minorem* de Deo *per*
facra *Christiana* *colendo* *constituunt* *sub* *regimine* *Presbyteri*, *qui*
& *Parochus* *audit*.

CVII. *Institutione* *divina* *existere* *jam* *inde* *ab* *Ecclesiæ* *Chri-*
stianæ *initis* *Presbyteri* *quidam* *inferiores*, *seu* *secundi* *ordinis*,
qui *sub* *regimine* *Episcoporum* *cœtibus* *Christianorum* *præsent*,
a *quibus* *quoniam* *ii*, *quos* *hodie* *Parochos* *vocamus*, *nihil* *dis-*
ferunt, *si* *pauca* *sejungas*, *quæ* *recentior* *Ecclesiæ* *disciplina* *addi-*
dit, *divinæ* *quoque* *illi* *institutionis* *sunt*, *si* *rem* *ipsam* *spectes*,
& *substantiam*; *quo* *sensu* & *potestatem* *suaam* *proxime* *a* *Deo*
obtinent, *quæ* *ordinaria* *est*, *non* *vicaria* *tantum* & *mere* *de-*
legata.

CVIII. *Inde* *jura* & *Officia* *Parochorum* *promanant* *sequen-*
tia **1.** *jus* *adminstrandum* *Parochianis* *Sacramenta*, *Ordinis* & *Con-*
firmationis *excepto*. **2.** *Jus* *habendi* *fontis* *baptifinalis* & *tribu-*
nalis *penitentiae*. **3.** *Jus* & *munus* *prædicandi* *verbum* *Dei* & **4.**
imbuendi *fidei* *sanctiorisque* *vite* *rudimentis* *juventutem*. **5.** *Pau-*
perum *aliarumque* *miserabilium* *personarum* *curam* *paternam* *ge-*
rendi, *ac* *bonorum* *omnium* *operum* *exemplo* *pascendi*. **6.** *Jus*
habendi *cæmeterii*, *defunctosque* *sepeliendi*. **7.** *Delegandi* *po-*
restatem *suaam* *alteri* *Sacerdoti* *idoneo*, & *ab* *Episcopo* *approbato*.
8. *Residendi* *intra* *parœciæ* *suae* *limites* &c.

CIX. *Cum* *autem* *Parochi* *in* *inferiorum* *Pastorum* *numero*
veniant, *certis* *tantum* *diececeseos* *districtibus* *sub* *regimine* *Epif-*
coporum *præpositi*, *fatis* *intelligitur*, *cur* **1.** *eorundem* *jurisdi-*
ctio *ad* *forum* *contentiosum* *se* *non* *exporrigat*. *Cur* **2.** *cenfuras*
infligere, *easdem* *tollere* *in* *foro* *externo*, *aut* *lites* *decidere* *ne-*
queant, *Næc* **3.** *legibus* *ecclesiasticis* *quenquam* *solvere*, *aut* *legis*
gratiam





gratiam facere in impedimentis Matrimonii, in votis &c. nisi quantum id eis ab Episcopo speciatim concessum. Neque 4. a casibus Episcopo reservatis in sacro penitentia tribunalis absolvere, Cum denique 5. muniis Parochialibus intra paræciæ suæ limites, non vero in aliena Parochia, sine Parochi ordinarii consensu, vel Superioris concessione defungi valeant.

DE CLERICORUM JURIBUS ET PRAEROGATIVIS COMMUNIBUS.

CX. Hæ ad duo summa genera revocantur, ad immunitatem Ecclesiasticam *personalem* & *realem*, quorum illa 1. privilegium *Canonis* quod vocant, 2. privilegium *fori*, 3. privilegium *servitiorum*, & 4. privilegium *competentiæ* complectitur.

CXI. Privilegio *Canonis* excommunicatio major continetur, lata in notorios Clericorum percussores, de quorum tamen percussione inquisitio facienda ab utraque, Ecclesiastica & civili potestate. *)

CXII. In *causis* quidem *sacris*, quemadmodum Clerici foro civili non sunt obnoxii: ita in ceteris *civilibus* causis quidquid exemptionis, quam *privilegium fori* vocant, habuere, aut habent etiamnum, Regum ac Principum concessioni referendum in acceptis.

CXIII. Privilegio *servitiorum* Clerici exempti sunt servitiis statui Clericali minus convenientibus, ut sacris vacare magis possint. Quare inter cetera etiam a *militia* exempti sunt, nisi forte patria defendi non posset, quo casu *juri sequela*, quod Regibus seu consuetudinibus ex jure belli competit, etiam Clerici sunt obnoxii.

CXIV.

*) Rescript. Caesareo-Reg. de a. 1768. 16. Julii & 29. Aug.

CXIV. Privilegium *Competentie*, quo Clericis non habentibus, unde creditoribus satisfaciant, salvam esse oportet sustentationem statui eorum congruam, ex observantia diuturna equitate subnixâ, repetendum.

CXV. Prima *immunitatis realis* initia Constantino M. debet Ecclesia. Cumque initio varia esset ea immunitas, modo auctior, modo contractior, pedetentim a seculo undecimo usque eo crevit, ut etiam ad possessiones *patrimoniales & privatas Clericorum* extenderetur. Posteaquam enim ex falsis *Isidori* decretalibus semel creditum est, Clericos civili jurisdictioni nequaquam subjacere, idque instituto divino; proclive fuit, ut etiam a tributorum præstatione, quæ subjectionis illius signum esset, liberi crederentur eodem jure. Prædia porro Clericorum, ac possessiones eorum, tanquam *accessoria personæ* tum spectabantur; igitur & has tributis minime obnoxias esse, velut suo præsequebatur videbatur secundum vulgarem regulam: *accessorium sequitur principale*.

CXVI. Ita quidem olim philosophabantur. At hodie Philosophia, quæ majoris gratitudinis sit, utimur, & quantumcunque immunitatis realis superest, illud ex beneficio Principum habere nos, grati recognoscimus.

DE CLERO REGULARI.

CXVII. Inter hierarchiæ Ecclesiasticæ gradus, quos suo Ecclesia arbitrato adjecit, dignitas quorundam *superiorum Regularium*, veluti *Abbatum, Ministrorum Generalium &c.* numeratur, quippe quibus præter potestatem paternam etiam pars *potestatis Ecclesiasticæ* in præsens competat.

CXVIII. Qui vitæ monasticæ institutum, quod seculo Ecclesiæ quarto invaluit, sequebantur, etsi olim Clericorum numero

ro non conferentur, Abbatum tamen, qui eis præerant, non vilis in Ecclesia auctoritas semper fuit. Et sicut postea Cœnobitæ ad statum Clericalem universim elevati sunt: ita Abbates a medio sæculo undecimo ornamentis Pontificalibus ornati, præcipua quadam *dignitate Ecclesiastica post Episcopos* hodiernum resurgunt.

CXIX. Quare ad concilia generalia vocantur, in iisque iure suffragii potiuntur — Cœnobitis suis minores conferre ordines possunt — nec non benedicere vasa sacra &c.

CXX. Exemptiones Monasteriorum a potestate & jurisdictione Episcopi diocesani, quæ ante seculum undecimum vix occurrunt, auctæ permultum sunt, postquam seculo decimo tertio novi invalere Regularium ordines, ex modo vite querendæ dicitur *Mendicantes*. Quorum quum nimium cresceret numerus, admissio & adprobatio novi ordinis Religiosi Pontifici eodem seculo est reservata; ad quem proinde etiam jus tollendi Ordines Regulares pertinere existimatum est.

CXXI. De exemptionibus autem Regularium cum sæpe querelæ ortæ, sæpe etiam modus iis est positus, tum novissime in Concilio Tridentino, ut via quadam media res complanaretur, concessum Episcopis, ut saltem qua *Sedis Apostolicæ Delegati* jurisdictionem in exemptos exercere certis casibus valeant. *Trident. sess. 6. de reform. c. 3. Sess. 25. cap. 14. sess. 7. c. 15. sess. 22. c. 8. & 9.*

CXXII. Qua ipsa tamen Tridentini sanctione quoniam non tam nova quædam concessa, quam vetus potius & avita Episcopis restituta est auctoritas (solum enim obstaculum remotum fuit, quod potestati eorum posuerat exemptio) profecto delegatam illam a synodo Tridentina jurisdictionem æquivalere jurisdictioni *ordinariæ*, & adco *latioris esse interpretationis* censendum est.



DE MODO PERVENIENDI AD DIGNITATES
ECCLESIASTICAS.

CXXIII. In Ecclesia sua usque in finem mundi duratura, et si
divinus ejus institutor Christus semper quoque voluerit esse ali-
quos, qui sacro, quod in illa instituerat, præessent imperio: quo
tamen illi modo ad id muneris feligendi essent & vocandi, nusquam
constituit.

CXXIV. Sed neque ab Apostolis ulla hanc in rem lex edita, &
quod hoc in negotio subin egerunt ipsi, non est uniusmodi.

CXXV. Ab eorum morte, Episcopi fere ubivis a vicinis
Provincia Episcopis eligebantur, Clero simul, populoque in sus-
fragii partem vocato.

CXXVI. Quoniam vero populus non raro turbas concita-
bat, paulatim is ab electione removeri cepit, admissis tantum
optimatibus & honoratoribus.

CXXVII. Quæ res fecit postea, ut & Regibus plurimum tri-
bueretur in electionibus, quippe qui præ Optimatibus multo plus
valerent ad commoda Ecclesiarum promovenda, ad electionum
compefcenda dissidia, ac prætensiones malevolorum reprimendas.

CXXVIII. Peractæ electioni postea sub stirpis Carolinae &
Saxoniae Regibus, cum Episcopi Germaniae Regalia non pauca
possiderent, addita investitura est per anulum & baculum; ob
quam dein ortum sub Gregorio VII. Pp. dissidium Pontifices inter
& Imperatores, quod annis propemodum quinquaginta Ecclesiam
æque ac Imperium vehementer afflixit, transactione Calixtina
denum extinctum. Urque reddita Ecclesiae Imperioque pax ef-
fer firmior, etiam jure Regaliae & spolia se se abdicavere Impe-
ratores.

D

CXXIX.





CXXIX. Novam electiones Episcoporum faciem accepere seculo XIII. dum *Capitula cathedralia* electiones has sibi solis attribuerunt; quod jus moribus initio quasitum, postea & Pontificum & Imperatorum constitutionibus est confirmatum, imminutum tamen rursus per Pontifices maxime Avenione residentes, qui reservationes Episcopatum permultum auxerant.

CXXX. At restitutum illis rursus, quantum ad Germaniam per *Concordata Germaniæ* est a. 1448. quibus *libera & canonica* Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum electio Capitulis metropolitans, cathedralibus, & monasticis confirmata fuit, reservato solum Pontifici jure *confirmandi* electos in *ecclesiis Metropolitanis & cathedralibus etiam Apostolicæ sedis immediate non subjectis, & in monasteriis Apostolicæ sedis immediate subjectis*. Concord. Germ. §. 3. Qua electionum libertate perfruitur Germania etiamnum.

CXXXI. Facienda autem hæc electio est secundum formam in *cap. XLII. de Elect. & Electi potest.* præscriptam.

CXXXII. Alter post electionem modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas *postulatio* audit, quæ est *electio personæ defunctu canonico laborantis, annexam habens implorationem superioris, de eadem persona per dispensationem ad Prælaturam admittenda.*

CXXXIII. Quare cum *postulatio* reipsa electio sit, diversa ab illa duntaxat in eo, quod annexam habeat implorationem superioris de concedenda dispensatione; relinquitur, ut forma electioni præscripta servanda itidem in *postulatione* sit; & adeo pro *postulato* habendus sit ille, in quem *major* Capituli pars consenserit, nisi fors pars Capituli *postulet*, pars *eligat*, quo casu *postulatus* duplo majorem numerum suffragiorum habere debet, quam electus.



electus. Secus prævalet electio, dummodo suffragia pro Electo unam tertiam personæ postulatæ superent.

CXXXIV. Unde porro admissio postulationis ab eo petenda est, qui jus *confirmandi* habet & *dispensandi* in impedimentis canonicis. Hinc quoniam jus confirmandi Episcopos, & Abbates *immediatos* Pontifici reservatum, etiam jus admittendi eorundem postulationes ad Rom. Pontificem attinet.

CXXXV. Tertius ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus, qui in ceteris fere omnibus extra Germaniam provinciis *electioni* surrogatus est, *nominatio* appellatur, qua Reges & Principes Christiani suis in regnis & provinciis personam designant, cui dignitas Ecclesiastica, Archiepiscopatus, Episcopatus, aliave Prælatura a superiore Ecclesiastico conferatur.

CXXXVI. Nominatio hæc quum surrogata sit electioni, tandundem quoque juris, ac electio tribuit, estque idcirco dignitas *personæ nominatæ* necessario conferenda, nec potest confirmatio ei denegari, si nominationem canonicam esse appareat.

CXXXVII. Accidit interdum, ut vacanti Ecclesiæ novus Episcopus per *translationem* detur, quæ fit, dum quis dimissa dignitate Ecclesiastica, quam tenebat, ad aliam auctoritate superioris promovetur.

CXXXVIII. *Translationibus Episcoporum* etsi vetus Ecclesia magnopere semper intercessit, maxime postquam seculo IV. Episcopis Arianis pessimo exemplo præcuntibus, ex avaritia & ambitione, nec jam infrequenter translationes quærebantur: admisit tamen interdum aliquas, si nempe auctoritate superioris fierent, essentque ejus generis, ut redundatura ex iis utilitas vulnus, quod tum disciplina Ecclesiasticæ insigitur, compensatura crederetur.



CXXXIX. Hodie jus transferendi Episcopos Romano est Pontifici reservatum, ususque translationum non infrequens in Italia obtinet.

PARS III.

DE NEXU ECCLESIAE CUM REPUBLICA
ET JURIBUS PRINCIPUM CIRCA SACRA.

CXL. Insignis & permagna est Religionis Christianae ad felicitatem Reipublicae praestantia.

CXLI. Augetur mirifice haec praestantia per sacerdotii & Imperii concordiam.

CXLII. Quorum sicut quodque suo in genere est summum, & alterum ab altero independens: ita limites eorumdem determinantur. 1. ex diversitate finium, quorum gratia sacerdotium & Imperium institutum est: 2. ex diversitate mediorum, quae eis ad consequendos fines suos data sunt, & 3. ex diversitate objecti, circa quod imperium & Sacerdotium occupantur.

CXLIII. Ex determinatione horum limitum consequitur porro, potestati civili *ius in Sacra*, quod in *determinatione sacerdotum* situm est, haudquaquam competere; competere tamen *ius aliquod circa sacra*, quod *ius ex ipso Imperio civili* profluit.

CXLIV. Consistitque *ius istud in jure Regio suprema inspectionis* in ea, quae in territorio Reipublicae aguntur, ne quid detrimenti inde perferat Republica: nec non in *jure munereque Patrocinii ac Tutitionis res fidei, disciplinaeque Ecclesiae*.

CXLV. Quare vi juris Patrocinii ac Tutitionis competit Principi jus 1. convocandi certis casibus concilia, 2. coercendi veræ Religionis impugnatores, 3. prohibendi libros noxios, 4. Moneandi de canonum observantia, 5. prohibendi, ne Prælati Ecclesiæ bona Ecclesiastica alienent.

CLXVI. Ex jure Regio autem supremæ Inspectionis competit Principi 1. jus *Placeti Regii*, ut vocant, circa bullas Ecclesiasticas, 2. Jus dandi *exclusivam*, quam ajunt, in electionibus Prælatorum, 3. Condendi *legem amortizationis*, 4. recipiendi *recursum & iappellationem ab abusu* 5. jus permittendi civibus a verâ religione alienis liberum sacrorum exercitium in casu inevitabilis necessitatis, præcipue avertendi majoris damni Religionis.

CLXVII. In Germania exortis sæculo sextodecimo funestissimis illis Religionis diffidiis, Principes Protestantici paullo ampliora jura circa sacra sibi sumere; nimirum sumere sibi jus veterem Religionem possessione dejiciendi, substituendique novam, ac determinandi adnexa Religionis, quorum jurium complexus *jus reformandi* vulgo audit.

CXLVIII. Jus hoc reformandi a Principibus Protestanticis jam occupatum, in pace Westphalica tandem Imperatori, statibusque Imperii immediatis, Ecclesiasticis non minus, quam secularibus, cum *jure territorii & superioritatis ex communi per imperium totum hætenus usitata praxi*, comprehensa etiam nobilitate immediata, firmatum fuit.

CXLIX. Adjecta tamen exceptio est, vi cujus omnes & singuli, qui sive *publicum sive privatum Catholicæ vel Augustanæ confessionis exercitium* anno 1624. quacunq; anni parte habuerunt, illud etiam deinceps retineant cum adnexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita esse probare possunt. Quare *jus reformandi instar regulæ se habet respectu statuum;*



subditisque contra illud excipientibus onus probandæ exceptionis incumbit.

CL. Quapropter & dominis territorialibus jus *simultanei innoxii* competit, seu jus introducendi coexercitium Religionis, quæ in *anno regulativo* haud vignit, modo subditi in Religionis exercitio anno normali habito, non impediuntur.

CLI. Qui vero possessione ejusmodi in anno normali non fruebantur, his si diversam a Domino territoriali religionem profiteri velint, nonnisi *stabile* beneficium emigrationis concessum, quo si uti velint, detineri a Domino territorii nequeant, *est* etiam *hominis proprii* sint, modo æquum manumissionis pretium solvant.

CLII. Possunt tamen hi etiam inviti a Domino territorii cogi ad emigrandum. Unde beneficio emigrationis subditis diversæ religionis concessio, nequaquam sublatum esse *jus transplantandi* eosdem subditos, ex æquali relatione utriusque mediæ ad finem facile intelligitur.

CLIII. Sive autem sponte velint, sive emigrare cogantur, semper eis integrum est *bona vel alienare vel retinere, ac per ministros administrare, libere etiam, si opus, accedere, recedere, nec denegande sunt emigrantibus nativitatis, honestæque vitæ testimonia, nec inusitatis reversalibus, vel decimationibus sunt gravandi.* Art. V. §. 36. & 37.

CLIV. Denique Ecclesia *Protestantium* una cum illa *Reformatorum* ita in Germania jure civitatis donata est, ut jura illius cum juribus Ecclesiæ Catholicæ in Imperio Romano-Germanico sint æqualia, ita ut *quod uni justum est, alteri quoque justum sit.* P. W. Art. V. §. I. Art. VII. §. I.

CLV. At nihil hæc, quæ de jure reformandi statuta sunt, ad regna & Provincias *Domus Austriacæ* attingent, quorum intuitu regia *Majestas Sueciæ & Augustanæ Confessionis Ordines sibi nihil aliud reservarunt, quam facultatem apud suam Cæsaream*

ream Majestatem, pace tamen semper permanente, & exclusa
omni hostilitate, ulterius respective interveniendi & demisse in-
tercedendi. Art. V. §. 41.

JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM.

PARS I.

DE PERSONIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

I.

Exposita in *Jure publico Ecclesiastico* natura Imperii sacri,
quod Christus Clericis, seu personis Ecclesiasticis concessit,
agendum hic de personarum harum cereris qualitatibus.

II. Clerici quemadmodum Deo, ejusque ministerio singula-
riter consecrati sunt: ita id ipsum etiam vita sua ostendant oportet.
Quare non modo vitæ sanctitatem internam, sed etiam mo-
rum probitatem, decoremque externum, qui statui eorum consen-
taneus sit, consecrari debent.

III. Quo inter cetera etiam vestitus & tonsura Clericalis —
vita caelebs — abstinencia ab armis — a mercatura, — a vena-
tione — a genere vitæ fordido — a negotiis secularibus perti-
nent &c.

IV. Oportet Clericos quoque illimes esse ab iis seu vitiis,
seu defectibus, quorum aliquo qui notari sunt, *irregulares* au-
diunt.

V. Irregularitatum genera multa sunt ab Ecclesia statuta,
quo-



quorum tamen aliqua nimis extensa subin fuere a Decretalium commentatoribus, veluti irregularitas ex *defectu lenitatis* quam vocant.

VI. Ad vitæ probitatem, ceterasque qualitates in Clero obtinendas, dici non potest, quantum educatio Clericorum in *seminariis*, seu *domibus sacerdotalibus* conferat, quas proin singulis in Diocesisbus erigi synodus Tridentina quam saluberrime iussit sess. 23. cap. 18. de Reform.

VII. In primitiva Ecclesia ex communi penu, & massa oblatorum & possessionum pauperiores alebantur Clerici, & fideles.

VIII. Seculo V. proventuum omnium *quatuor partes* fiebant, quarum una *Episcopo* & familia ejus propter hospitalitatem exercendam, altera *Clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Ecclesiis reparandis* cessit. Ruralibus tamen Presbyteris interdum fundi, fundorumque proventus specie ususfructus dati. Ac quam initio fundi isti a morte horum usufructuariorum ad Ecclesiam redirent, essetque in Episcopi arbitrio, an hos, an alios redditus successori dare vellet: postea tamen sive quod Episcopi interdum laicis jure usufructuario eos fundos concederent, sive quod Clericis odiosum videretur & molestum, novis precibus Episcopos pro redditibus adire, invaluit pedetentim, ut Parochi hi rurales jus perpetuum habere crederentur percipiendi proventus intra fines suarum parochiarum provenientes.

IX. Et inde *beneficiorum perpetuitas* orta, quæ hodièdum obtinet, dum beneficium ecclesiasticum ex hodierna disciplina *jus est perpetuum percipiendi fructus ex Ecclesie bonis ob sacrum ministerium auctoritate ecclesiastica adnexum.*

X. Multa hodie beneficiorum genera sunt, Alia *curata* & *simplicia*, *secularia* & *regularia* alia; alia *compatibilia* & *incompatibilia*, alia quibus *dignitas* aut *personatus* adnexus &c. Alia denique *electiva* & *collectiva*.

DE

DE ERECTIONE ET COLLATIONE BENEFICIORUM.

XI. Erectio & collatio beneficiorum Episcopatu minorum quemadmodum jure proprio & quasi congenito ad Episcopos diocesanos pertinet, ita decem primis Ecclesie seculis, quibus collatio beneficiorum a sacra ordinatione sejuncta non erat, & ipsorum Ordinum collatio vice collationis beneficiorum fuit, omnis quoque beneficiorum collatio apud solum Episcopum remansit.

XII. Et quanquam hujus in conferendis beneficiis libertas hinc inde parumper imminuta esset, dum seculo octavo & nono invalescente *Jure Patronatus* Episcopi beneficia confetre interdum deberent iis, quos Patroni presentaverant; at jus ipsum conferendi turbatum demum per *gratias expectativas*, ac *reservationes Pontificias* plurimum fuit, quae exeunte seculo duodecimo pedetentim inductae, postea ita auctae sunt, ut omnium pene nationum Episcopi ac Principes gravissimas querelas moverent, ac iisdem jure intercederent.

XIII. Quarum priores Tridentina Synodus sess. 24. c. 19. de Reform. sustulit; his vero per *Concordata Germaniae* modus est positus.

XIV. *Jus Patronatus* viget etiamnum, contineturque 1. jure presentandi Clericum ad beneficium vacans, 2. Percipiendi alimenta in necessitate, 3. capiendi locum honoratiorem in Ecclesia & solemnibus Ecclesiasticis, 4. obligatione defendendi Ecclesiam, & ad ejus reparationem concurrendi.

XV. Jus patronatus utcumque inter res spirituali annexas *jure Decretalium* reformatur, id tamen haud officit, quo minus Christiani omnes, ne feminis quidem exceptis, juris hujus capaces sint, acquirique illud possit aut *modo originario*, & quidem 1. *ordinarie* fundatione, dotatione, exstructione; 2. *extraordinarie* praescriptione, privilegio. Aut *modis derivativis*, successione,
E sione,

sione, donatione, seu etiam una cum castri, vel prædii, cui cohereret, permutatione, & venditione.

XVI. Quapropter etsi in causis juris patronatus controversis jure Decretalium iudex comperens sit Ecclesiasticus, ea tamen in Austria ad *Regimen excelsum*, in Bohemia ad *Curiam Regiam Provinciale* majorem pertinent.

XVII. Quis autem cunque beneficia conferat, semper is eam servare debet regulam, *ut homines det beneficiis, non beneficia hominibus*, id est, ut ea non nisi dignioribus; & qui Ecclesie magis proficui futuri sint, impertiatur.

XVIII. Ad quam Regulam proin consentaneæ intelligenda consuetudo, quæ alicubi inoluit 1. recipiendi Canonicos nobiles tantum, 2. dandi *Expectativas* & *Canonicatus in herbis*.

XIX. Beneficio obtento variæ tum *obligationes*, tum *jura in beneficiato* oriuntur. Ac primum quidem jure divino obligatur is ad rite præstandum *officium* beneficio annexum. Id quod si præstare pro eo, ac oportet, non possit, nisi quoque in loco beneficii resideat, eodem jure ad residentiam in loco beneficii obstringitur, illamque non otiosam, sed diligenti cum officii executione conjunctam.

XX. Quæ obligatio potissimum ad Beneficiatos curatos pertinet, nisi forte officiorum collisio exceptionem a residentia necessitate quandoque postulet, id est, ut Tridentina Synodus explicat, *nisi christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesie vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent*, sess. 23. c. 1. de Reform.

XXI. Ac quanquam olim residentia perpetua exigeretur, jure tamen novo permissum ea in re aliquid; modo absentia *iparium*

tium singulis annis sive continuum, sive interruptum tres menses non excedat in *Episcopatus & beneficiis curatis.*

XXII. Quoniam porro qui in uno beneficii loco residet, nequit simul residere in alterius beneficii loco, relinquitur, ut quæ lex residere in loco beneficii præcipit, eadem & beneficiorum pluralitatem prohibeat.

XXIII. Obtinenti plene beneficium etiam *jus in ipso beneficio* nascitur, vi cujus jure pollet exercendi 1. cuncta *jura beneficii* & spiritualia & temporalia. 2 Exigendi & percipiendi proventus *residentiæ veræ & factæ* assignatos. 3. *utendi, fruendi* prædiis ecclesiasticis, in beneficium datis.

XXIV. Quod tamen de proventibus ultra vitæ honestæ sustentationem superest, impendere is in usus pios obstringitur adeo, ut si in profanos usus croget, ad refarciendum obligetur.

XXV. Quare neque consuetudine effici potest, ut de redditibus superfluis ad causas profanas restari Clericis sit integrum; quanquam in foro externo id genus testamentorum tolerentur, ob odium litium, & quod perarduum sit bona superflua beneficialia secernere a *Patrimonio*, de quo libera illis disponendi testandique potestas est.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM.

XXVI. Beneficiatus quemadmodum ob *jus in beneficio* privari beneficio non potest nisi in pœnam, & ob causas in Canonibus expressas: ita propter *obligationem*, quam contraxit, præstandi *officium* beneficio annexum, abdicare se beneficio nequit, nisi & justa causa, & Superioris adfir annutus.

XXVII. Resignationes autem has *pure & sine adjecta conditione*, omnium autem, minime in *favorem tertii* fieri oportet, quales



quales recentior primum ætas *contra canones* a seculo XIV. introduxit.

DE INNOVATIONE BENEFICIORUM.

XXVIII. Innovantur beneficia, dum status eorum primævus mutatur, quod fit *unione, divisione, diminutione & retentione* beneficii.

XXIX. Ad diminutionem beneficii *pensiones* pertinent, quæ sunt certa redituum portio ex reditibus collati beneficii alteri solvenda.

XXX. Quodsi pensiones hæc *elemosynarum* modo constituentur, id est, si portiones quedam proventuum in unius beneficio superflua, in alterius Clerici non habentis, unde vitam honeste toleret, sustentationem impendantur, nihil illæ vitii habent, cum ita ad succurrendum Clericorum indigentium *necessitati* quantæ quantæ comparatæ sint: at aliud a seculo XII. pensionum genus invaluit, quo non modica redituum pars sine discrimine num superflua esset, Ministris Ecclesiæ eripi, nulla etiam moderatione in partem indigentes profundi poterat. Cui modum saltem posuit Tridentina Synodus, quum ex toto tollere vix videretur concessum.

XXXI. In Germania sicut beneficiorum omnium dominium & collatio non creditur Pontifici competere, ita nec jus onerandi pensionibus beneficia. Ac quanquam beneficiis mensæ papali vacantibus pensiones imponere possit, haud illæ tamen ad successorem transeunt, si postea in mensæ ordinarii collatoris vacaverint.

XXXII. Etiam *Annatis*, quæ sunt *pars redituum primi anni Pontifici ex recens collato beneficio solvenda*, is est, per *Concordata Germaniæ* modus positus, ut de *Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis virorum* solvantur quidem *moderate*: de ceteris beneficiis autem non aliter, nisi si valorem XXIV. Ducatorum excedant; unde dignitates & Canonicatus nullas hodie annatas

natas solvunt, quod omnes ad *valorem duntaxat XXIV. Ducatorum* in Camera Apostolica taxati sint.

PARS II.

DE REBUS SACRIS ET ECCLESIASTICIS.

XXXIII. Ex doctrina *Juris publici Ecclesiastici* de jure determinandi *Sacra & sacrorum exercitium* nullo negotio intelligitur, cuinam jus determinandi *liturgiam, dies festos, & rem sacramentariam Baptismatis, Confirmationis, Eucharistiae, Penitentiae, Ordinis, Unctionis infirmorum & Matrimonii*; determinandi item cultum Sanctorum, jejunia &c. competat.

XXXIV. Hinc e. g. Ecclesia jure statuendi impedimenta Matrimonii *ut sacramenti*: Princeps jure statuendi impedimenta Matrimonii *ut contractus civilis* est, gaudet.

XXXV. Jure Ecclesiastico Austriaco pro irritis censentur *minorem sponsalia* sine Curatorum & Magistratus consensu celebrata. *)

XXXVI. Matrimonium in infidelitate contractum per professionem Religionis Christianae alterutrius Conjugum haud solvitur.

DE ECCLESIIS ET DOMIBUS RELIGIOSIS.

XXXVII. Ad *res sacras* etiam *Ecclesiae* pertinent, id est aedes sacrae ad quas fideles sacrorum causa confluunt. Possunt quidem in omni loco fundi preces, Missae tamen sacrificium non nisi in loco sacro & in mensa consecrata offerendum.

*) Rescript. Cæs. Reg. de a. 1753. 12. April.



XXXVIII. Et quanquam *Ecclesie Parochiales* seculo IV. antiquiores vix esse videantur, nec fideles primis *Ecclesie* seculis templa habuerint eorum, quæ hodie habemus similia; ac certe sui erant vel primis illis Christianis conventuum sacrorum loci, exercitio Religionis speciatim destinati.

XXXIX. Auctus postea ita numerus est *Ecclesiarum*, ut Justinianus Imp. legem ferre coactus sit, ne quis *Ecclesias* posthac absque consensu diocesani Episcopi ædificet.

XL. Vetitum quoque in oratoriiis privatis citra consensum Episcopi Missam celebrare, aut baptismum administrare.

XLI. In Germania in quantum jus concedendi *Ecclesiarum* erectionem ad *jus reformandi* pertinet, normam specialem habet ex *Lege publica Pacis Westphalicae*.

XLII. *Ecclesie* reficiendæ & restaurandæ *jus & obligatio* penes *Ecclesiam* est. Quare reficienda illa est 1. ex redditibus ipsius *Ecclesie*, atque adeo 2. ex ipsorum etiam *beneficiariorum* redditibus, si qui congruæ sustentationi superfunt. His deficientibus membra *Ecclesie*, *Parochiani* primum, tum *Patroni* subsidia conferre debent.

XLIII. *Ædes Parochianæ* quomodo & a quibus reficiendæ sint, peculiari Rescripto Regio in Bohemia de anno 1770, determinatum.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURIS.

XLIV. Jam inde ab *Ecclesie* exordio Majores nostri certis ritibus corpora Christianorum sepeliebant, ex quibus ritibus, autis postea, *sepultura Ecclesiastica* manavit.

XLV. Quum autem apud *Romanos* sepultura in urbe jam inde a *XII. Tab.* tempore esset prohibita, morem hunc servant & Christiani diu tum Romæ, tum alibi, donec Christiana religio-

ligione invalescente, *sedes*, sive sepultura *Apostolorum & Martyrum* intra urbes permitterentur, ædificatis ibidem basilicis Martyrum. Juxta quæ sepulcra quoniam porro & ceteri fideles sepeliri desiderabant, evenit tandem, ut sepulcris non quidem ipsæ Ecclesiæ, sed loca prope Ecclesias designata & concessa fuerint, eaque tam intra quam extra urbes ubicunque Ecclesiæ publicæ, sive parochiales essent constructæ. Atque inde illorum locorum origo, quæ hodie *cæmeteria* dicimus, quæque hodie sunt *loca publica ad sepulturam unice auctoritate sacra solenniter destinata*.

XLVI. Quapropter nova cæmeteria erigi nequeant 1. sine consensu Episcopi; 2. & in terris Angustissimæ Domus Austriacæ sine consensu Principis. *) 3. Jus habendi cæmeterii jus *Parochiale* est, æque ac jus in eodem sepeliendi.

XLVII. A seculo X. in ipsis Ecclesiis fideles quidam honoratiores sepulturæ dati. Qua in re quid hodie fieri oporteat, speciali Rescripto Regio de 14. Aug. 1772. determinatum.

XLVIII. Oblationes etiam funerarias quales, quantasque tum Ecclesiæ, tum ejus ministris dare oporteat, constitutum iisdem Regiis Rescriptis de anno 1751. & 1769.

XLIX. In pace Westphalica convenit quidem, *ne quis intuitu Religionis a publicis cæmeteriis, honoreve sepulturæ arceatur*, art. 5. §. 35. At accipi istud non potest de locis, ubi publicum religionis Protestanticæ exercitium non toleratur, in quibus proinde locus est legi ecclesiasticæ, *sepulturam ecclesiasticam hæreticis neganti*.

DE

*) Rescript. Cæs. Reg. dd. 14. Aug. 1772.



DE JURIBUS ET IMMUNITATIBUS LOCORUM SACRO-
RUM ET RELIGIOSORUM.

L. Ecclesiæ cultibus sacris destinatæ non possunt usibus profanis permitti. Quare nec in iis, nec cæmeteriis quidquam negotiationum exercendum, nec merces, aliæ res ibi deponendæ, nisi urgente summa necessitate in incendiis aut hostium incurfione.

LI. Ob eandem causam sanctitas externa seu securitas publica specialis data Ecclesiis contra aliorum injurias, quæ si inferantur in iis, graviori pœnæ sunt obnoxie.

LII. Sed inter immunitates Ecclesiis datas *jus asyli* celeberrimum est, quo securitas data confugientibus ad Ecclesias, ut extrahi inde nequeant, utcunque scelera morte plectenda commiserint.

LIII. Est itaque *jus asyli* species quædam juris *adgratiandi*. Istud autem quum pars sit juris, quod *vita & necis* dicimus, quodque solis summis Imperantibus civilibus competit, sane ipsius etiam juris asyli concessio ad eosdem Imperantes civiles pertinet, quorum imperium civile religio Christiana haudquaquam imminuit. Et possunt profecto & tempora ostendi & tabulæ, quando & in quibus *jus asyli* ab Imperantibus civilibus concessum Ecclesiis, ac quantum illud, & quam vario modo auctum, modo iterum restrictum.

LIV. Ut concederent autem, occasionem præbuere primum *intercessiones Episcoporum*. Cum hi enim optime nossent, plenam cordis conversionem non tam cito fieri solere, intercedebant illi apud judices, præferent vitam longiorem reis, quo penitentia ecclesiastica subjicerentur. Quod cum impetrassent sapius, generatim tandem concessum, ut reis ad Ecclesiam confugientibus hoc ipso tutis esse liceret, & securis,

LV. Quoniam autem poenitentia illa ecclesiastica, cui sub-
 ciebantur, & diuturna tunc erat, & pergravis, periculum non
 erat, ut asyli concessio fraudi esset reipublicae, aut homines auda-
 ciores redderet in delinquendo.

LVI. Jus hoc asyli sane vetustissimum extensum demum ad
 cœmeteria est, ad Episcoporum habitationes, Monachorumque
 & Canonicorum claustra.

LVII. Sed quum jure divino homicidæ etiam ad altaris
 abripi possent ad supplicium, *) crimina atrocia excepta sunt.
 Jure Austriaco etiam oberati, qui in fraudem creditorum fugam
 capiunt, asylo non gaudent.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ACQUISITIONE.

LVIII. Quoniam Personæ Ecclesiasticæ in numero civium
 manent, & Ecclesie, ac corpora Ecclesiastica communione jurium
 civilium fruuntur: hinc sunt 1. illa acquirendorum bonorum ca-
 pacia. 2. Potestate autem civili in acquisitione æque ac aliena-
 tione eorundem bonorum subiecta.

LIX. Et in acquisitione quidem bonorum legibus civilibus
 semper usa est Ecclesia præter eam, quæ per *ultimam voluntatem*
 fit; de qua ut leges suas ederet, occasionem Justinianus præbuit,
 dum curam & executionem *piarum dispositionum* Episcopis im-
 posuit.

LX. Inde ortæ leges illæ juris Canonici, quibus 1. *in testa-*
mentis & *legatis ad pias causas* nulla necessaria sit solennitas,
 modo de ultima voluntate constet sive *per duos testes*: sive *per*
idoneum instrumentum defuncti. Et quibus 2. *legata pia* de-

*) Exod. XXI, 14.



beantur ex testamento etiam respectu *aliorum* imperfecto. Quae leges etiam in foro & tribunalibus Germania jure civitatis donatae sunt.

LXI. Jure Austriaco tamen speciali nequeunt Clerici confiscare testaments *aliena*, & qui de Clero regulari sunt, ne testium quidem numero defungi in iis possunt. *)

LXII. Legata *pia* porro non subjacent detractiōi *Falcidiae*; subjacent autem detractiōi *Trebellianicae* fideicommissa pia universalialia.

LXIII. Qui vero ad testandum omnino inhabiles sunt, eos saltem ad *causas pias* testari posse, nec ex dispositione juris, nec ex natura piarum causarum eruitur.

LXIV. Quum porro Ecclesia semper acquireret, nunquam alienaret, periculumque esset, ne omnium immobilium, vel majoris partis domina fieret, unde in rempublicam, cujus interest, ut multi fundi sint in commercio, multam incommodi; in Principes vero *ob immunitatem ecclesiasticam* ingens detrimentum redundaret: cum in multis regnis, tum in terris hereditariis Augustissimae Domus Austriacae, *lex amortisationis* lata fuit, qua novae immobilium acquisitiones communitatibus ecclesiasticis interdictae sunt, nisi Rex speciatim acquirendi potestatem faciat; quam haud facit, nisi *amortisationis* jus eidem sit praestitum, id est, solutum certum pretium de praedio, quod devenit in *manus mortuas*.

LXV. De acquisitione etiam mobilium per terras hereditarias Austriacas peculiariter sancitum, ut claustra Regularium ab iis, qui per vota solennia se se illis mancipant, ultra summam 1500 fl. acquirere nihil possint. **)

DE

*) Rescript. Reg. de a. 1771. 4. Sept. & 1772, 25. Julii.

**) Rescript. Reg. a. 1771. 26. Aug.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRA-
TIONE, ALIENATIONE ET PRAESCRIPTIONE.

LXVI. Ut bona Ecclesiarum magis in tuto essent, sancitum, ut quantum ad horum administrationem 1. Ecclesia jure *Minoris censetur*. 2. Ut bonorum administratores inire quidem possint contractus ad bonorum *conservationem* legitimumque *usum* tendentes, at non eos, quibus *alienatio* inest, nisi adhibita *solenitate ecclesiastica*.

LXVII. Sed & consensus *Principis* ad validam alienationem vel maxime requiritur, tanquam *Protectoris* Ecclesiarum, & *superi* *Inspectoris* in Republica. *)

LXVIII. Quod si illegitime facta sit alienatio, datum Ecclesiae est non tantum *jus vindicandi* alienata a quovis possessore una cum fructibus, sed & actio *personalis* eidem concessa adversus alienantem ejusque haeredes ad damni illati resarcitionem.

LXIX. Contra *Ecclesiam* & *corpora pia* quoad bona eorum immobilia non praescribitur, nisi lapsu temporis *longissimi XL* annorum.

LXX. Jure autem Austriaco quum bona ecclesiastica non rite alienata, sine mora Ecclesiae una cum fructibus olim restituenda essent *non obstante quacunque praescriptione*, Leopoldus Imperator postea saltem *centenariae* praescriptionis rationem habere voluit. **)

F 2

DE

*) Rescript. Reg. de a. 1545. Cod. Aust. Tom. I. p. 402. & Landesordnung des Königreichs Böhmen f. 25.

**) Constitutione de anno 1704.



DE DECIMIS.

LXXI. Quum primis Ecclesiæ seculis arbitrio Fidelium reli-
 ctum esset, quid, quantumve symbola conferre ad sustentationem
 ministerii sacri quisque veller ineunte seculo quarto Patres hortari
 fideles cœpere, ut exemplo Reipublicæ Judaicæ *decimas divina-*
rum rerum ministris perfolverent. Hortatibus leges dein additæ:
 ecclesiasticæ primum seculo sexto: ac civiles etiam octavo seculo a
 Carolo M. quin imo jure plane divino decimas deberi, sequenti-
 bus seculis putabatur.

LXXII. Inde porro creditum: causas decimarum omnes ad
 forum pertinere ecclesiasticum, remque hanc totam ex legibus po-
 testatis ecclesiasticæ, maxime Pontificis esse dirigendam. Unde
 tot Rescripta Pontificum in causis decimarum, collectioni *Decre-*
talium Gregorii IX. inserta.

LXXIII. Hodie eliquati satis juris est, *decimas* jure divino
 non deberi, etsi sustentatio congrua ministris Ecclesiæ debeat,ur,
 quum nihil æquius, quam ut qui aliorum ministerio se dedit, ab
 iisdem etiam sustentetur.

LXXIV. Penduntur tamen hodiernum decimæ in locis non
 paucis, ex consuetudine *pia Principum voluntate* sustentata;
 quorum ea sane est auctoritas, ut si Reipublicæ salus posceret *de-*
cimarum usum omnino tollere, atque in ejus locum surrogare
 alium modum possent, quo congrua sustentatio suppeditaretur
 Clericis.

LXXV. Quare etiam causa decimarum ad judicem civilem
 tam in Bohemia, quam in Austria pertinet.

 PARS

PARS III.

DE JUDICII ET POENIS ECCLESIASTICIS.

LXXVI. Secernenda jurisdictio Ecclesie *Essentialis* ab *adventitia*.

LXXVII. Illius natura & limites in *Jure Publico Ecclesiastico* expositi. Hæc a sæculo nono, quo jurisdictionis civilis & Ecclesiasticæ limites mirifice jam permixti erant, Ecclesie advenit.

LXXVIII. Advenit autem potissimum 1. *ratione peccati*, qua causâ et si civilis, si peccandi subesset periculum, Ecclesiasticæ esse cognitionis contendebatur; unde & *denunciatio Evangelica* fluxit. 2. Ex negligentia judicum laicorum, quæ *supplenda* videbatur per judicem Ecclesiasticum. 3. Ex jurejurando negotiis adjecto.

LXXIX. Hinc cum *forum sit locus exercende jurisdictionis*, quousque *forum Ecclesiasticum* se se jure suo *primigenio*, & quousque jure *adventitio* exporrigat, facile intelligitur.

LXXX. Fori autem ecclesiastici privilegium largitate Principum Clericis concessum, quum olim ad omnes Clericos, qui tonsuram haberent extenderetur, restrictum illud demum sanctione synodi Tridentinæ ita est, ut fori privilegio *non gaudeant Clerici prima tonsura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario Clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur*, Trid. sess. XXIII, c. 6. de reform.

LXXXI. Præterea neque hoc fori privilegio fruuntur Clerici nisi si 1. *rei vice fungantur*. 2. In actionibus *personalibus*, non item *realibus*.

LXXXII. *Forma judiciorum Ecclesiasticorum* a seculo XII. permultum immutata est. Cum enim primis seculis judicia Ecclesiastica essent instar *arbitrorum*, exulabant in illis formulæ tribunalium secularium. Sed Seculo XII. formularum ambages, velut agmine factò, totaque tritura forensis in tribunalia Ecclesiastica est introducta, occasionem præbente studio *legum civilium*, quod dum magnopere deperibant Clerici.

LXXXIII. Inde 1. varia in tribunalibus Ecclesiasticis *processus judicialis* exorta genera. *Processus ordinarius* — *Summarius* — *criminalis* — *civilis* — *prima secundæ instantiæ* — *juris communis* — *juris particularis* &c.

LXXXIV. Inde 2. in jurisprudentia Ecclesiastica doctrina: De *libelli oblatione*. De *citationibus*. De *contumacia actoris vel rei*. De *litis contestatione*. De *dilationibus* & *feriis*. De *petitionibus mutuis actoris & rei*. De *modo & ordine plures causas in judicio pertractandi*. De *exceptionibus* & *replicationibus*. De *litis pendentia*. De *confessione*. De *Probationibus*. De *testibus*. De *instrumentis*. De *jurejurando*. De *presumptionibus*. De *sententia* & *re judicata*. De *appellationibus*, *recusationibus* & *relationibus* &c.

LXXXV. Possunt lites etiam extra judicium finire, amica nempe *conventione litigantium*, seu *transactione*, aut *per assumptos arbitros*.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

LXXXVI. Quandoquidem non aliud *ius cogendi* Ecclesiæ divinitus concessum est, nisi ut privatione *sacrorum*, id est, eorum bonorum, quæ Deus dispensari per Ecclesiam membris societatis Christianæ voluit, adigere fideles posset: etiam *ius puniendi* Ecclesiæ a Christo datum, non ultra *sacrorum* privationem, atque adeo ultra *pœnas spirituales* se se exporrigit,

LXXXVII.

LXXXVII. Illud olim Episcopi in synodis, hodie per *Constitutionem diocesana* exercent, causis Episcoporum criminalibus majoribus Pontifici reservatis. *Trident. sess. XXIV. c. 5. de reform.*

LXXXVIII. Juri huic puniendi sicut omnia Ecclesie membra subjacent: ita cum per illud nihil imminuta sit potestas puniendi *civilis Principum*, manebant huic subiecti etiam Clerici. Sed favore & reverentia Religionis, a foro Reipublice criminali Clericos exemptos voluere Principes, causis Clericorum Criminalibus *discussioni Ecclesiasticae relictis.* *)

LXXXIX. Etiam fori hujus *criminalis privilegiati forma* admodum simplex erat, quamdiu forum *internum* ab *externo* separatum non fuit. At ubi seculo XII. forum poenitentiae in praxi separari ceptum a judiciali, atque istud quidem primario alicui presbytero, ceteris dominaturo, quem *Vicarium Episcopi* seu *Officialem* vocarunt, illud vero inferioribus, & *vilioribus Presbyteris* demandatum est: simplex illa forma in formularum ambages, tricasque forenses mutata: processus denique civilis sollemnissimus in judicia criminalia Ecclesiastica est introductus;

XC. Isque triplex; *accusatorius, inquisitorius & denuntiatorius.*

XCI. *Purgationes tamen vulgares*, quae vulgo per *Ordalia*, seu *judicia Dei* fieri dicebantur nusquam probabantur Pontificibus, qui in earum locum *purgationem canonicam* seu *juramentum purgatorium* substituerunt.

XCII. Ad hoc forum Ecclesiasticum *adventitium* etsi olim etiam laicorum delicta frequentissime pertraherentur, hodie foro Ecclesiastico regulariter delinquentes laici non subsunt, praeterquam eo in casu, dum decisione alicujus questionis praedicta *mere spiritualis opus*, quo casu reus ad *judicium Ecclesiasticum sistendus*, ac pro re nata in curiis laicis per commissarios Eccle-

*) Constit. Crim. Theol. Art. XIX. §. 20.



Ecclesiasticos examinandus est. Decisa quaestione spirituali, processus criminalis a iudice laico privative peragendus est. Atque idem etiam agendum, si qualitas criminis jam definita & notoria est. Constit. Crim. Theres. Art. XIX.

XCIII. Jus cogendi porro & puniendi Ecclesia inflictione censurarum exercet.

XCIV. Censurae ergo in plurium vel pauciorum bonorum spiritualium privatione consistunt.

XCV. Quarum maxima, & quae omnibus his bonis privat, *excommunicatio major* audit. Ceterae quibusdam tantum bonis privant, & sunt: *Excommunicatio minor, interdictum, suspensio.*

XCVI. Effectibus Excommunicationis spiritualibus additi subin etiam civiles sunt; unde *Principum* circa Excommunicationem iura quadam orta.

XCVII. Quibus usa AVGVSTISSIMA IMPERATRIX MARIA THERESIA anno 1768. praecipit, ut causa percussione Clerici, cui iure canonico poena Excommunicationis annexa est, a Commissariis Ecclesiasticis, & secularibus pari numero discutatur, ante sententiae tamen incursoe excommunicationis executionem, tam in hoc, quam in aliis casibus, *Placetum*, seu consensus Regius exquiratur. *)

XCVIII. Vulgatissima hodie, ac frequentissima est excommunicatio, quam *late sententiae* dicimus; cuius tamen per novem ecclesiae secula, imo in ipso *Gratiani Decreto* vix ullum vestigium. Nempe monitionum vicem, quae alias praemitterebantur, lex ipsa, cui *excommunicatio late sententiae* inserta est, subire creditur.

*) Corp. Juris. Eccles. Bohem. p. 183. & 186.

POSITIONES

EX

CETERIS IURISPRUDENTIAE PARTIBUS.

EX JURE NATURALI ET GENTIUM.

I. **P**incipium cognoscendi juris Naturalis unicum, evidens & adæquatum nondum a DD. est assignatum.

II. In investigatione legum naturalium brevior, certior & ad docendum aptior methodus, non tamen relictis omnino aliis, videtur esse illorum, qui inquirunt in finem generalem legis naturalis & in actionum humanarum cum hoc fine convenientiam vel disconvenientiam quam methodum commendavit CUMBERLANDUS in *lib. de legibus naturalibus* & prosecutus est PUFFENDORFFIUS.

III. Secundum hos lex naturalis charitate in omnes diffusa continetur, ejusque finis est bonum publicum totius civitatis rationalium. Male HOBBIUS in *libro de Cive & Leviathan* hunc finem constituit in ejusque conservatione & utilitate propria in hac vita.

IV. BASEDOWII opinio de immutabilitate juris naturalis opinio falsa est.

V. MONTESQUIEU in suo opere: *L'Esprit de Loix* plus æquo climati tribuit.

VI. Civitas est hominum liberorum multitudo juris consensu & utilitatis communione sociata.

G

VII. Com-



VII. Communis omnium utilitas regiminis civilis finis est, & potius ad muniendam cujusque libertatem quam minuendam institutum est.

VIII. Rejicimus impium MONARCHOMACHORUM dogma, quin eum MACHIAVELLO & HOBBSIO summæ potestati, quæcunque libent, in cives licere statuamus. In hac materia non est confundenda potestas absoluta cum potestate arbitraria, despotica & illimitata.

IX. Homines esse ad societatem civilem natos colligimus ex eo, quod innumeris commodis frui non possint extra illum statum, & quod status naturæ incommoda quædam intolerabilia ad civilem cæterum eos quodammodo cogant.

X. Accidentali quarundam civitatum origini occasionem sine dubio dederunt ambitiosorum hominum artes, affectio imperii & aperta violentia; aliis origo existit parentalis potestas; aliarum causa fuit libera electio multitudinis, tandem plerisque absque dubio originem dedit familiarum confederatio, inita ad potentioris alicujus familiæ coercendam licentiam, frangendamque potentiam & opportunus harum circumstantiarum usus.

XI. Quælibet gens per propriam salutem obligatur eo despicendi, ne sit improba aut barbara.

XII. Fundamentum jurium & officiorum gentium erga ipsas est æqualitas atque libertas.

XIII. Nulla gens naturaliter jus quoddam sibi arrogare potest, quod aliis gentibus non competit, & quod juris uni genti est in alias, id etiam ceteris singulis comune est; hinc naturaliter nulla inter gentes existit Prærogativa & Præcedentia.

XIV. Nefas est genti aliam habendi pro subjecta aut plane serva, quæ nihil contra jus perfectum alterius deliquit.

XV. Bellum inter gentes independentes malum necessarium est,



est, sed non nisi, quando medium non superest aliud, & tunc soli illi actus hostilitatis sunt liciti, qui ad præveniendam aut vindicandam injuriam sunt necessarii.

XVI. Sola ratio æquilibrii servandi justa belli indicendi causa non est.

XVII. Sicut causa justa belli defensiva est injusta alterius invasio, ita offensivi denegatio juris perfecti; ut adeo jus tantum imperfectum alteri denegatum non possit justam belli inferendi causam præbere.

XVIII. Nulla gens a gente ulla ad certæ religionis cultum cogi potest. Est quidem inter gentes mutua obligatio tum ex lege religionis, tum ex lege socialitatis illustrandi gloriam divinam & promovendi religionem, sed hæc numeramus inter imperfecta gentium officia, hinc vel ob neglectam curam propagandæ religionis vel ex causa propagandæ religionis nullus juri coactivo inter gentes locus datur.

XIX. Nec datur bellum offensivum ex causa propagandæ religionis aut vindicandi delicta erga Deum; probatur tamen bellum defensivum ex causa religionis.

XX. Expeditiones cruciatis nemo tuebitur ex causa cogendi infideles ad amplectendam religionem christianam, aut expellendi eos e suis terris orientalibus: sed justitia earum unice fundari potest in jure reparandi injurias christianis ab infidelibus illatas & terras occidentis ab incurisibus Saracenorū fartas terrasque servandi.

XXI. Diversitas religionis impedire non debet, quominus gentes humanitatis officia inter se exercent.

XXII. Fœdera inter gentes inita, ut quid sacratum, servari oportet cum omnibus, licet etiam diversa religionis; fides hostibus etiam infidelibus data sancte servanda est.





EX JURE PUBLICO.

I. Circa finem sæc. XIV. prima occurrunt vestigia academi-
cæ culturæ jurisprudentiæ Germanicæ publicæ.

II. Forma Imperii Romano-Germanici nec est Monarchica,
nec Aristocratica nec Democratica, sed prout leges Imperii di-
sponunt ordinata.

III. BARTOLUS SAXOFERRATENSIS, an. 1313. natus, & a. 1355.
mortuus, medii ævi Jctus non fuit Autor aureæ Bullæ CAROLI IV.
sed potius RUDOLPHUS DE FRIEDBERG.

IV. Capitulationum originem electioni CAROLI V. Publicistæ
communiter tribuunt, licet jam inde a principio medii ævi Im-
peratores inter auspicia Principatus jura Ecclesiæ, populique se
tuiturqs promitterent.

V. Recessus Imperii R. G. non vi pacti sed vi Legis status
obligant.

VI. Concordata Principum, quæ non obstante salvatorio EU-
GENII IV. pro fundamento & regula valent, & Concordata Aschaf-
fenburgensia, quæ exceptio tantum sunt & strictissimæ interpreta-
tionis, simul sumta hodie conficiunt Concordata Nationis Germa-
nicæ cum curia Romana: sunt verum pactum publicum bilatera-
le, atque lex fundamentalis Imperii, quibus Papa nec ex pleni-
tudine potestatis, quippe quæ semper restricta est ad plenitudinem
justitiæ, ad jus divinum naturale & gentium, derogare potest, nec
solus authentice & legaliter interpretari.

VII. Ut eo sanctior servetur Concordatorum custodia, varia ha-
bemus remedia, uti recursum ad Augustissimum Imperatorem tan-
quam horum Protectorem; item recursum ad status Imperii &
Comitia, nec non ad serenissimum quoque Electorale Collegium.

VIII. Ex hisce Concordatis inter alia Germania jus habet, ut
omnes causæ, majoribus exceptis, finiantur per iudices in parti-
bus,



bus, & ut in gratiis, quas Pontifex adhuc concedere potest, Theu-
tonicus non Theutonico praeferatur.

IX. Imperans Laicus potest aliquando circa religionis exter-
nae tolerantiam valide pacisci: idquod laudabiliter egerunt Prin-
cipes Catholici Germaniae ineundo Pacem W. In hac etiam ea,
quae circa Religionem ibi disposita, suum habent valorem, stante
nihilominus iusta simul & efficaci summi Pontificis Innocentii X.
adversus illam protestatione. Secus de valore huius Pacis sentien-
tes tanquam publicae salutis hostes habendi sunt.

X. Interpretatio legis publicae authentica non summis Impe-
rii Tribunalibus sed comitiis competit.

XI. Regnum Germaniae jam ante Auream Bullam fuisse ele-
ctivum defendimus contra autorem libri: Die Wahlcapitulationen
der Römischen Kayser und Deutschen Könige betrachtet ein Deut-
scher Bürger.

XII. Imperii nostri Electorum Origo gratis adscribitur in-
stitutioni Papae GREGORII V.

XIII. S. R. I. Imperatoris potestas nec absoluta est, nec
arbitraria, sed fundamentalibus Imperii legibus & capitulatione
circumscripta.

XIV. Jus primariorum precum ex antiqua dimanans Con-
suetudine etiam hodie absque Indulto Pontificio exercere valet Au-
gustissimus: ab exercitio huius juris tamen excludimus Augustis-
simas.

XV. Imperator protestantium aequae ac catholicorum jura
sarta recta servare obligatur.

XVI. Inter hodierna systemata Ecclesiae protestanticae emi-
nent Collegiale, quod dicunt, & illud, quod in ipsa superio-
rita-





ritate territoriali quærunt. Utrique quidem systemati cum Theologis & Canonitis Ecclesiæ nostræ in sensu theologico repugnamus; in sensu vero legali pro forma imperii nostri illud superioritatis territorialis cum celeb. MOSERO in den Abhandlungen aus dem Deutschen Kirchen Recht N. 1. contra plures noviores Ecclesiæ protestanticae scriptores ex gravissimis fundamentis admittere non dubitamus.

XVII. Liberum juris territorialis in Ecclesiasticis exercitium omnibus & singulis Electoribus, Principibus & statibus imperii R. G. Artic. 8. §. 1. I. P. O. stabilitum firmarumque cel. PREY-
SCHEN in Commentatione de foro causarum ecclesiasticarum Augustanae Confessioni addictorum, qui Domino Catholico sunt subditi §. 6. & alii noviores inani conatu contra ipsam summorum paciscentium mentem ad solum jus circa sacra territoriale restringunt.

XVIII. Memoriale visitatorum de 8. Decembr. 1570. §. 7. minime præjudicat jurisdictioni supremorum imperii dicasteriorum in causis protestantium ecclesiasticis; quod contra perill. Authorem des Promemoria &c. apud Fabri in der neuen Staatskanzley 21. Th. & alios observamus.

XIX. Norma exactæ mutæque æqualitatis Art. 5. §. 1. I. P. O. inter utriusque Religionis Electores, Principes, status omnes & singulos stabilita non raro neglecta limitatione regulæ adjectæ, "quatenus formæ Reipublicæ, constitutionibus imperii, & præsen-
"ti conventioni conformis est", male applicatur; quod exemplis illustrabitur. Dignum sane Canonistæ & publicistæ Germani votum est & utinam non tantum votum, quod Cl. ENDRES in suo systemate principiorum universæ jurisprudentiæ pragmaticæ, dissertationi de diverso juris Germanici ad Civile Romanum & Canonicum Commune habitu annexo, in fine edixit: "Denique
"impar-



"impartialis, & genuini Patriotismi votum est, ut inclytæ cives
 "Germaniæ unius se potius Reipublicæ, quam pro religionis di-
 "versitate singularium corporum in una republica membra confi-
 "derent; ut procul præjudiciis, passionibus, nimio ad privatam
 "interessè respectu publicas Imperii leges interpretentur, & ap-
 "plicent, ut, donec in religione dissentiant, civica saltem inter
 "eos interim regnet concordia."

XX. Territorium in significato juris publici nostri est certa
 regio Germaniæ, seu districtus, cui superioritas territorialis in-
 haret. Hallucinatus hinc est Cel. MASCOVIVS qui in suis *Princi-
 piis juris publici lib. 6. cap. 1.* Territorium ex Lege 139. de V.
 S. districtum definiit, cui jurisdictio inharet.

XXI. Superioritas territorialis nobis est complexus jurium
 dominis territorialibus circa regimen civile territoriorum ex for-
 mula imperii competentium.

XXII. Cum his juribus non confundenda, quæ domini ter-
 ritoriales ut status imperii, quæ vi specialis concessionis, exem-
 plum sit jus vectigalium; jus monetandi; quæ denique cum clas-
 se aliorum privatorum exercent.

XXIII. Hæc superioritas recte quidem dicitur potestas ma-
 jestatis æmula; differt tamen a majestate seu imperio summo, 1)
 quod illa non omnia jura imperii civilis sub se comprehendat; sunt
 enim Imperatori in territoriis statuum sua reservata. 2) Quod
 fit regimen subordinatum. Sequela hujus subordinationis per
 universum jus publicum propagantur. Conf. Cel. RÜTTERI *Be-
 träge zum Deutschen Staats- und Fürsten Recht. N. 18.*

XXIV. Objectum, circa quod hoc regimen occupatur, est
 vel politicum, vel sacrum. Unde fluunt jura superioritatis ter-
 ritorialis circa politica, (secularia) & circa sacra (ecclesiastica).

XXXV.



XXV. Omnis hæc jurium species (ni tibi met contradicere, & ipsum systema imperii evertere velis) Communibus regitur Principiis, communibus vinculis alligatur. Talia sunt jus publicum universale; Leges imperii; Observantia; Analogia; & ipse nexus imperii generalis; Judicata & privilegia cesarea; series denique pactorum cum vicinis; aliisque legitime conclusorum.

XXVI. Violatio horum abusus superioritatis territorialis est, qui remediis legalibus in supremis imperii dicasteriis cohiberi potest. Hæc non satis noviores quidam, cæteroquin celeberrimi inter catholicos scriptores attendere videntur, cum ambitum jurium territorialium circa sacra fere unice ex principiis juris publici universalis reperere, nec non raro in præjudicium jurium quæstorum detorquere amant.

XXVII. Quoties juribus Ecclesiarum Germaniæ, quæ vel in concordatis pactisque legitime initis, privilegiis concessis, Legibus ecclesiasticis specialissimis, statutis Ecclesiarum Collegiatarum justis aut consuetudine legitime obtenta continentur, vis inferitur, gratias concedendo, rescribendo, dijudicando, providendo, Resignationes admittendo, dispensando &c. totidem in casibus Recursui ad judicium imperiale aulicum patere locum existimamus.

XXVIII. Princeps prohibere potest cationes & preces injurias aut publicæ quæri contrarias, licet anno normali receptas.

XXIX. In locis mixtæ Religionis non ferendi sermones, quos plebs miscet de Religione & fidei articulis in publicis conventibus & popinis.

XXX. Electores non solum collective sed etiam ut singuli jure prætendunt Præcedentiam præ cardinalibus.

XXXI.

XXXI. Biennio, quod Canonicus in Academia hac nostra complet, a capitulis, sive cathedralibus sive collegiatis, nulla exceptio legitima opponi potest.

EX JURE FEVDALI.

I. Fallunt & falluntur viri elegantissimi IAC. CVIACIUS in *prolegomena feudorum*, & HEINECCIUS in *historia juris* & *element. Juris Civilis secundum ordinem Institut.* §. 14. dum libros feudorum ab OBERTO & GERARDO Consulibus Mediolanensibus compilatos esse docent.

II. Feuda ecclesiastica in Germania omnia esse oblata ostendi nequit.

III. Feuda oblata & feuda ex datis & oblati mixta, de quibus post labores HERTII illustre spicilegium dedit SVDER in *amentatibus juris feudalis* n. 6. pag. 33. propria esse praesumuntur.

IV. Causae feudales feudorum ecclesiasticorum privilegio fori ecclesiastici in Germania non gaudent.

EX JURE CIVILI.

I. Si CICERO vel IULIUS CAESAR jurisprudentiam Romanam in unum corpus compingendi consilium ceptum perfecissent, sine dubio elegantius jus haberemus; an autem nostris temporibus etiam sic accomodatum non aequae certum est.

II. Germanus fuit, qui primo celebriores in Italia, Bononiae, aperuit scholas juridicas, sc. VERNERIVS vel ut alii scribunt WERNERVS; sub IRNERII nomine sat cognitus. Huic alii adscribunt omnes Authenticas, alii nullas, alii nec omnes nec nullas, quam ultimam sententiam defendimus cum CORN. VAN BYNCKERSHOEK.

III. *accursius* trito illo: *Græca sunt, legi non possunt,* non omnium græcorum passuum lectionem excludere voluit.

IV. Studium Philosophiæ stoicæ Iſto præprimis colendum est.

V. Cujus sectæ inter veteres Iſtos quis fuerit, multum scire refert ad intelligendum jus Romanum.

VI. Remedium spoli aduersus tertium bonæ fidei possessorem intentari solitum, non iur canonico, sed doctrinali practitorum interpretationi suam originem debet.

VII. Jus Albinagii natales suas a jure fisci Romano in hæreditates & bona vacantia sumfisse videtur. Hoc jus antiquioribus temporibus in Germania etiam viguit; sed sublatum jam fuit FRIDERICI II. Imp. temporibus. Exercetur quidem hoc jus adhuc in aliquibus Germaniæ provinciis, sed tantum per modum reformationis.

VIII. Creditor utut in solidum plures fideijussores sibi obstrinxerit, in securitatem sibi obstrinxit: hinc obrinet adhuc beneficium divisionis.

IX. Minor etiam in sponsalibus læsus potest restitui.

X. Pacta nuda & adjecta Germanis non tantum obligationem naturalem sed & civilem producant.

XI. Licet mandatarius fines mandati excedat, tamen mandans obligatus manet eatenus, quatenus mandavit, non vero quoad excessum mandati,

XII.



XII. VITEBERGAE a. 1707. prima juris Germanici praefectio-
nes a GEORGIO BEYERO Professore pandectarum fuerunt habita.

EX JURE CRIMINALI.

I. Constitutio criminalis Nemesis Carolinae mediante nova
adcuratori processus poenalis norma e Germaniae territoriiis me-
rito esset eliminanda.

II. Hac non requirit copulative, ut 'quis sit convictus &
confessus, sed disjunctive tantum; tuta tamen & utilis est Ger-
manorum practica non nisi confessum judicare.

III. Si pluribus vulneribus simul sumtis laesus obierit, ca-
su, quo plures vulnerarunt, omnes a poena gladii sunt absol-
vendi.

IV. Officium executivae potestatis est, legum accuratae
executioni invigilare; sed cum saepius summum jus summa sit in-
juria, id debet fieri cum aequitate & semper in executione poena-
rum Principi cogitandum, se cum homine agere, seque in justif-
sima ira suorum adhuc patrem subditorum esse, poenaeque rigo-
rem personae rex, ejus circumstantiis, personae laesa, damno il-
lato & periculo timendo attemperari jubeat.

V. Longaevis & otiosas Carcer, exilia, mutilationes feli-
cius in laboriosas & afflictivas occupationes, ad privatorum laeso-
rum & rotius publici utilitatem mutarentur.

VI.





VI. Recte ait Cl. ENDRES loco supra cit. §. I. n. 8. "Pari
 "jure, sicut Princeps timore pœnarum a malo statui inferendo arce-
 "re malos, ita ad excitandam plurium pro reipublice bono amu-
 "lationem, singularia civium pro speciali status bono, merita,
 "exquisitis cum iudicio & prudentia prœmiis, respicere debet,
 "ut sic plures faciendo bonos & utiles patriæ cives, malorum effica-
 "cius numerum minuat."

Errata & omiffa.

- Pag. IV. Lin. 4. *Opere lege opera.*
 25. *multo lege multa.*
 10. 23. *Presbyris lege Presbyteris.*
 18. 10. *Jupisdictio lege Jurisdictio.*
 32. penult. *incomparabilia lege incompatibilia.*
 39. 2. *Martyrorum lege Martyrum.*
 40. 25. *Judices, faverent lege Judices, ut faverent.*
 41. 8. *ad Altaribus lege ab Altaribus.*
 45. 11. *evangelia lege evangelica.*
 51. 23. *christianas lege cristianis.*

In Program.

- §. 3. lin. 5. loco *legitime datis* lege *legitime latis.*
 §. 10. lin. 7. post verba *nobilesque immediatos* adde *pro-*
testantes,



X 2310747

ULB Halle

3

007 469 942



V018







1779, 2

21

SYNOPSIS

ECCLESIASTICI PV- BLICI ET PRIVATI

Q V A M

VUM POSITIONIBVS EX CETERIS
RISPRVDENTIAE PARTIBVS

V ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

RANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI

PRO GRADV DOCTORIS

IS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS LEGITIME
IMPETRANDIS

DIE IX. NOVEMBR. MDCCLXXIX.

IN AVDITORIO COELICO

PVBLICE TVEBITVR

NCISCVS PHILIPPVS FRANCK,

COLLEGIATAE B. MARIAE VIRGINIS CANONICVS CAPI-
ET SACRORVM CANONVM PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS.



DIAE, LITERIS NONNIANIS, ACAD. A TYPIS.

